DE PRECATIONUM ROMANARUM SERMONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE GISSENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPIST

GEORGIUS APPEL
BODENHEMIENSIS

TYPIS LIPPERTI ET SOCIORUM
NUMBURGI AD SALAM
MCMVIII

De dissertatione probanda
ad philosophorum ordinem rettulit
Ricardus Wuensch
15. XII. 06.

Praemonitum

Quaestiones, quas in hac dissertatione tractavi *de precationum Romanarum sermone*, partem faciunt maioris opusculi, quod *de Romanorum precationibus* conscripsi. Id constabit e tribus capitibus: primo Romanarum precationum reliquias collegi, secundum magna ex parte in dissertationem recepi, tertio de Romanorum precandi ritu gestuque egi. Integrum opusculum propediem prodibit in voluminum serie, quae inscribitur *Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten*, tamquam voluminis VII fasciculus 2. Huius fasciculi paginarum numerum in summis paginis dissertationis repetitum vides. Reliquias in primo capite congestas numeris perpetuis distinxi; horum quoniam plerique in dissertatione passim laudantur, conspectum, ne quid desideraretur, infra addidi.

1 Cato orig. I frg. 12 Peter; **2—5** Liv. I 12, 4; V 21, 2; X 19, 17; XXII 10, 2; **6—11** CIL VI 32323; **12** CIL III 1933; **13** CIL XII 4333; **14—17** Liv. I 10, 6; I 32, 6; I 32, 10; I 24, 7; **18** Serv. Aen. VIII 3; **19. 20** Liv. XXIX 27, 1; VIII 9, 6; **21. 22** Macrob. Sat. III 9, 10; III 9, 7; **23. 24** Liv. V 21, 3; I 18, 9; **25. 26** CIL VI 32323, 125; 32329, 10; **27** Vell. Pat. II 131, 1; **28. 29** Liv. III 17, 6; IX 8, 8; **30** Plin. Pan. 94; **31** Tac. Hist. IV 58; **32** Script. Hist. Aug. Vit. Probi 12, 7; **33** Varro l. l. VI 27; **34—39** Acta fratr. Arv. rest. Gu. Henzen p. 100 (a); 100 (b); 103; 110; 122; 123; **40** Anthol. Lat. II 1; **41. 42** Varro l. l. VII 26; VII 27; **43** Terent. Scaur. de orthogr. p. 28, 11 K.; **44. 45** Petr. Sat. 85; 86; **46. 47** Cato de agric. 132, 1; 134, 2; **48** CIL I 1290; **49** Cato de agric.

141, 2; **50** Fest. p. 210 s. *Pesestas*; **51** Cato de agric. **139**; **52—82** Audollent *Defixionum tabellae quotquot innotuerunt* Paris. 1904: **52** n. 93 A; **53** n. 122; **54** n. 129; **55** n. 139; **56** n. **190**; **57** n. 191; **58** n. 218; **59** n. 228; **60** n. 229; **61** n. 230; **62** n. 231; **63** n. 233; **64** n. 247; **65** n. 248; **66** n. 250; **67** n. 251; **68** n. 265; **69** n. 266; **70** n. 267; **71** n. 270; **72** n. 273 A; **73** n. 274 A; **74** n. 275; **75** n. 286 B; **76** n. 288 B; **77** n. 289 B; **78** n. 292 B; **79** n. 293; **80** n. 294; **81** n. 295; **82** n. 300; **83** *Studi ital. di Fil. cl.* 1899 p. 194; **84** *Jahresh. österr. arch. Inst.* IX 1906 p. 192; **85** Sen. ad Pol. de cons. 13, 1; **86** CIL VI 18817, 9; **87** CIL III 3989; **88. 89** Cic. II in Verr. V 184; de domo 144; **90** Liv. XXIV 38, 8; **91** Plin. pan. 1, 6; **92** Liv. II 10, 11; **93** Gell. Noct. Att. XIII 23, 13; **94** Val. Max. VIII 1, 5 absol.; **95** Arn. adv. nat. III 43; **96—114** R. Heim *Incantamenta graeca latina*, Ann. philol. suppl. XIX 1893 p. 465 seqq.: **96** n. 40; **97** n. 42; **98** n. 49; **99** n. 51; **100** n. 55; **101** n. 56; **102** n. 64; **103** n. 67; **104** n. 72; **105** n. 91; **106** n. 99; **107** n. 110; **108** n. 120; **109** n. 124; **110** n. 125; **111** n. 126; **112** n. 201; **113** n. 236; **114** p. 558 vs. 30.

Caput alterum

De precationum Romanarum sermone

Locuturi de adorationum Romanarum sermone materiam tres fere in partes distribuamus, quarum prima exponamus, quibus occasionibus datis Romani precati sint, altera, qualis fuerit ipse precationum sermo, tertia, quomodo certae precationes usu tamquam detritae sint. Quibus in capitibus pertractandis passim etiam poetis, qui, quamvis Graecos imitentur, haud raro exhibent vere Romana, utemur.

Quis est, qui nesciat, quanta Romani fuerint religione?[1] Quin etiam paene credideris illos aliquanto magis quam Graecos pietatis erga deos laude floruisse, praesertim cum nonnulla scriptorum Graecorum testimonia passim tradita ad nos pervenerint, ex quibus intellegatur Romanos religiosius quam Graecos coluisse deos. Sed si consideraveris Graecos quingentis annis ante ad similem ac Romanos postea cultum atque humanitatem pervenisse, iam intelleges illa Graecorum scriptorum verba artis rhetoricae continere locos communes, quibus depravati Graecorum, qui tunc vivebant, mores improbentur. Tamen hos locos afferam, cum sint Romanorum erga deos pietatis testimonia. Polybius dicit VI 56, 6: *Μεγίστην δέ μοι δοκεῖ διαφορὰν ἔχειν τὸ Ῥωμαίων πολίτευμα πρὸς βέλτιον ἐν τῇ περὶ θεῶν διαλήψει. Καί μοι δοκεῖ τὸ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ὀνειδιζόμενον τοῦτο συνέχειν τὰ Ῥωμαίων πράγματα,*

---

[1] J. Marquardt *Staatsverwaltung* III p. 54 adn. 3; G. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 323 adn. 5.

λέγω δὲ τὴν δεισιδαιμονίαν. Ἐπὶ τοσοῦτον γὰρ ἐκτετραγῴδηται καὶ παρεισῆκται τοῦτο τὸ μέρος παρ' αὐτοῖς εἴς τε τοὺς κατ' ἰδίαν βίους καὶ τὰ κοινὰ τῆς πόλεως ὥστε μὴ καταλιπεῖν ὑπερβολήν. Polybius ipse hoc loco Graecis ostendit Romanorum religione factum esse, ut semper fere haberent felices eventus tantamque sibi pararent potestatem. Similia invenimus ceteris locis huc afferendis. Dionys. Halic. *Ῥωμαϊκὴ Ἀρχαιολογία* II 27, 3 extr.: *Ἵνα τοῖς ἀγνοοῦσι τὴν Ῥωμαίων εὐσέβειαν, ἣν οἱ τότε ἄνδρες ἐπετήδευον μὴ παράδοξον εἶναι φανῇ τὸ πάντας αὐτοῖς τὸ κάλλιστον λαβεῖν τοὺς πολέμους τέλος. Ἁπάντων γὰρ αὐτῶν τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ὑποθέσεις εὐσεβεστάτας φανήσονται ποιησάμενοι καὶ διὰ τοῦτο μάλιστα τοὺς θεοὺς ἐσχηκότες ἐν τοῖς κινδύνοις εὐμενεῖς.* Et Athenaeus ex Posidonio VI 274 A: *Πάτριος γὰρ ἦν αὐτοῖς* (sc. *Ῥωμαίοις*), *ὥς φησι Ποσειδώνιος, καρτερία καὶ λιτὴ δίαιτα, καὶ τῶν ἄλλων τῶν πρὸς τὴν κτῆσιν ἀφελὴς καὶ ἀπερίεργος, ἔτι δὲ εὐσέβεια μὲν θαυμαστὴ περὶ τὸ δαιμόνιον.*

Neque solum Graeci sed etiam Romani ipsi religionem suam haud raro laudibus efferunt. Sallustius Cat. XII 3 Romanorum, qui tunc vivebant, maiores vocat *religiosissimos mortales.* Et haec quidem verba videntur manasse ex eodem Posidonio modo commemorato, quem Sallustius in exordiis, quod attinet ad materiam philosophicam, plerumque adhibere solet[1]. Cicero de deor. nat. II 8 ex Coelio Antipatre haec fere de Romanorum erga deos pietate nobis tradit. *C. Flamininum Coelius religione neglecta cecidisse apud Trasumenum scribit cum magno rei publicae volnere: quorum exitio intellegi potest, eorum imperiis rem publicam amplificatam, qui religionibus paruissent. Et si conferre volumus nostra cum externis, ceteris rebus aut pares aut inferiores reperiemur, religione, id est cultu, multo superiores.* Sed conferas etiam, quae altero quodam eiusdem operis loco inveniuntur (III 5): *Mihique ita persuasi Romulum auspiciis, Numam sacris constitutis fundamenta iecisse nostrae civitatis, quae numquam profecto sine summa placatione deorum immortalium tanta esse potuisset.* Itemque Cicero de harusp. resp. 19: *Tamen nec numero Hispanos nec robore Gallos . . . ., sed pietate ac religione atque hac una sapientia, quod deorum numine omnia*

[1] C. Wachsmuth *Einleitung in das Studium der alten Geschichte,* Lips. 1895 p. 665.

regi gubernarique perspeximus, omnes gentis nationesque superavimus. Livius XLIV 1, 11: *Favere enim pietati fideique deos, per quae populus Romanus ad tantum fastigii venerit.* Plinius paneg. I: *Bene ac sapienter, patres conscripti, maiores instituerunt ut rerum agendarum ita dicendi initium a precationibus capere, quod nihil rite nihilque providenter homines sine deorum immortalium ope consilio honore auspicarentur.* Reliquum est, ut Gellii locum Noct. Attic. II 28, 2 commemorem: *Veteres Romani cum in omnibus aliis vitae officiis tum in constituendis religionibus atque in dis immortalibus animadvertendis castissimi cautissimique.* Ac profecto his scriptorum et Graecorum et Romanorum locis optime illustratur, qualis et quanta Romanorum fuerit de rebus divinis cogitatio ac consuetudo. Nam, quod in nullo alio populo pari modo invenitur, Romanorum vita cum publica tum privata semper sive officia sacra sive institutiones sacras attingebat semperque ex deorum haerebat numine.

Atque nihil nisi deis faventibus volentibus iuvantibusque agi suoque statu conservari posse Romani erga deos pii credebant. Sueton. Galba 10: *iustam piumque et faventibus diis bellum suscipi.* Livius XXXIX 16, 11: *omnia diis propitiis volentibusque ea faciemus.* Plaut. Persa 332: *Sequere hac, mea gnata, me cum deis volentibus*; cf. Cato de agric. 141. Plaut. Poenul. 910: *Quin hercle conlibertus meus faxo tu eris, sei dei volent*; cf. Cicero in Verr. Act. II lib. III 157. Plaut. Mil. Glor. 1351: *Agite, ite cum dis bene volentibus.* Sallust. Iug. LXXXV 48: *Et profecto dis iuvantibus omnia matura sunt, victoria praeda laus.* Cf. Cicero de div. VII 20, 2; Liv. VII 10, 4; XXXV 32, 10; Fronto ed. Nab. p. 88 ad M. Caes. (ad Anton. imp. et invic.) V 41, 101. Cicero de nat. deor. II 165: *Neminem nisi iuvante deo talem fuisse credendum est.* Fronto ed. Nab. p. 200 (ad amic. II 10): *si di consilia mea iuverint.* Sallust. orat. et epist. ex hist. I 27 ed. Jordan p. 113: *Et bene iuvantibus divis M. Aemilium consulem ducem et auctorem sequimini.* Cf. Liv. VI 23, 11; XXI 21, 6; XXV 38, 22; XXVI 36, 9; XXVIII 32, 12; XXIX 24, 7; XXXI 7, 14; XXXXI 51, 1; XXXXIV 38, 7; Gellius Noct. Att. praef. 24. Fortasse nobis hoc loco liceat afferre inscriptionem sepulcralem (CIL I 623 = III 582), qua Romanus quidam commemorat *semper*

memorem fuisse sese *deorum*, quod multis Romanis morem fuisse non negem.

Praecipue autem Romanorum religio elucebat ex singulis deorum cultus generibus caerimoniisque ac singulis institutionibus sacris [1]. Atque in omnibus illis rebus divinis ac sollemnibus adhibebantur precationes, quae pertinebant ad illas caerimonias deosque coram populo colendos. Neque solum cum rebus divinis publice faciendis, sed etiam cum omnibus gravioribus vitae rebus preces coniungebantur, quin etiam quod attinet ad cottidianam consuetudinem, omnibus fere diei temporibus diis fundebantur a Romanis pietate erga deos excellentibus. Atque si occasiones, quibus datis Romani precati sunt, accuratius perlustrare volumus, facillime hoc facere poterimus, dum titulos singulorum testimoniorum, quae in primo capite collecta sunt, repetimus. Qua in re addere iuvat rerum scriptorum et poetarum ea testimonia, quibus preces non ipsis verbis repetuntur, sed ut factae tantum commemorantur. Ceterum poetarum adieci eos locos, quibus precandi morem non ut vulgo Graecum, sed vere Romanum sequi videntur. Eas poetarum preces, de quarum ratione dubius haereo, uncis inclusi.

Ac primum quidem nonnullae fuerunt preces publicae, quae domi militiaeque promiscue fiebant. Sunt autem hae:

Vota (supra p. 8 n. 1—4; Livius X 36, 11; XXXVI 2; Sil. Ital. XV 443; Claud. in Ruf. I 334); ver sacrum (supra n. 5); sacrificia (n. 6—11); dedicationes (sacrorum n. 12—14; Liv. II 8, 7; spoliorum Liv. XLV 33; Sil. Ital. X 547; [Stat. Theb. II 715; X 336]; pallae Sil. Ital. VII 77; [Stat. Theb. X 65]).

In bello vero preces fundebant Romani clarigantes (n. 15); indicentes (n. 16); foedus ineuntes (n. 17, 18; Verg. Aen. XII 176; Sil. Ital. XVI 260); bellum incipientes (n. 18; Liv. II 49, 7; XXXI 5; Lucan. Pharsal. I 295; Scriptor. Histor. Aug. vit. Maxim. et Balb. c. 8; Plut. Camill. V 1); expeditionem suscipientes (n. 19; Liv. XXIX 27, 9; Sil. Ital. Pun. XV 159); devoventes (n. 20; Liv. V 41, 3; X 28, 13;

[1] De hac re conferas G. Wissowa *Religion und Kultus der Römer* p. 318 sqq.

[Statius Thebais X 760]); consecrantes (n. 21); evocantes (n. 22; Servius ad Aen. II 244 et 251).

In pace precati sunt Romani publice inaugurantes (n. 24); res ineuntes (Nero in auspicando opere Isthmi: Sueton. Nero 37; ante senatum habendum: Sueton. August. c. 35; Gellius Noct. Attic. XIV 7, 9; in ineundo magistratu: Liv. XXI 63, 7; Scriptores Hist. Aug. vit. Maxim. et Balbin. c. 2; Ovid. ex Pont. IV 4, 39); novum annum ingredientes (Plin. nat. hist. XXVI 22; Tacit. annal. IV 70; XVI 22; Stat. Silv. IV 2, 61; Martial. epigr. VIII 8; Script. Hist. Aug. vit. Anton. Heliogab. c. 15; Auson. ed. Peiper III 5; III 6; Lucian. Pseudol. c. 8); urbem condentes (Ovid. fast. IV 827); magistratus in provinciam exeuntes (Fest. p. 171 M.); primarium, quem vocant, lapidem exstruendo aedificio ponentes (Tacit. hist. IV 53); dei cuiusdam cultum recipientes (Magna Mater recipitur: Liv. XXIX 14, 13; Sil. Ital. Pun. XVII 38; Aesculapii cultus recipitur: Ovid. met. XV 678); contionem habentes[1] (Auctor ad Herenn. IV 55, 68; Cic. pro Mur. 1; Liv. XXX 21, 7; XXXIX 15, 1; Plin. paneg. 63; Dionys. Halic. Antiq. Rom. VII 59); orationem dicentes (in orationis initio[2]: Verg. Aen. XI 301 cum Servio; Liv. XXXIX 15, 1; Ovid. met. XV 593; Quintil. decl. 353; Sil. Ital. Pun. XI 501; Valer. Max. praef. I; Symmach. epist. III 44; oratione progrediente: n. 32; Cic. in Caec. div. 43; pro Mil. 85; Sil. Ital. Pun. I 639; Gell. Noct. Att. XIII 23, 1; Serv. ad Aen. VII 259; XI 301; Martian. Capell. V 436; in fine orationis: n. 28—31; Sil. Ital. Pun. II 372); lustrum condentes (Val. Max. IV 1, 10), prodigia procurantes[3] (Suet. Calig. 22); salutem rei publicae (n. 25—27; Liv. V 21, 16; Vell. Pat. I 10, 4; II 22, 2; Plin. epist. ad Trai. 100; Paneg. 67; Valer. Max. I 5, 2; V 10, 2; Script. Hist. Aug. vit. Maxim. et Balb. 17, 8; Plut. Camill. V 9; XII 3); salutem imperatoris (pro salute: Senec. ad Polyb. de cons. XVI 6; Plin. pan. 94; Script. Hist. Aug. vit. Probi c. 12;

---

[1] Th. Mommsen *Röm. Staatsrecht* III p. 390 adn. 2.

[2] Fr. Marx, Lucilii Sat. (Lips. 1905) II p. 14 ad v. 26.

[3] L. Wülker *Die geschichtliche Entwickelung des Prodigienwesens bei den Römern*, diss. Lips. 1903 p. 42.

Lactant. de mort. pers. 46, 10; pro reditu: Tacit. ann. III 47; pro valetudine: Tacit. ann. III 71; pro incolumitate: Tacit. annal. III 17; XII 68; Plin. epist. 35 et 36); salutem uxoris imperatoriae desiderantes (Tacit. annal. XV 23).

Iam ad privatas precationes transgressuri primum de sodaliciorum precibus agamus.

A veteribus nobis traduntur occasiones fere hae: votum (n. 34—39) et agrorum lustratio (n. 40).

Deinde nobis exponendum est, quibus occasionibus, quod attinet ad ipsas res privatas, Romani deos invocaverint.

Atque hoc loco primum enumerem, quando, cum privatim facerent res divinas, Romanos esse precatos cognoverimus: in voto (n. 44 et 45; Verg. Catalept. VI; eclog. VII 33; Aen. I 327; VI 55; VII 572; IX 625; X 421; XI 557; Tibull. IV 4, 1; Propert. IV 10, 15; Horat. serm. II 3, 288; Ovid. amor. II 13, 7; fast. IV 893; V 573; [Senec. Agam. 802; Herc. fur. 299]; Sil. Ital. Pun. VIII 226; [Valer. Flacc. Arg. I 79]; Martial. epigr. IX 42; Macrob. Saturn. VI 9, 4; Anthol. Latin. II 19); in sacrificio (Verg. Aen. V 235; Tibull. II 2, 1; IV 5, 9; IV 6, 1; [Senec. Herc. fur. 900; Valer. Flacc. Arg. I 188; Stat. Theb. VIII 303]; Martial. epigr. IV 45; Caes. Bass. fr. 2, FPR p. 364); in dape offerenda (n. 46; Tibull. II 1, 81); in strue ac ferto obmovendo (n. 47); in lustrandis et piaculandis sacris (n. 49—51); in libatione (Vergil. Georg. IV 381; Aen. I 731; III 528; [Stat. Theb. I 552; I 696; Valer. Flacc. Argon. I 666; II 610; V 194]); in inferiis (Verg. Aen. V 80; [Stat. Theb. VII 93; Val. Flacc. Arg. III 448]); in dedicatione (Tibull. I 9, 81; Liv. XLV 33; Martial. epigr. VI 47; IX 17; IX 58; Anthol. Latin. I 16, 39; II 4, 1; 21, 1; 217, 1; 228, 1; 248, 1; 249, 1; 250, 1; 253, 1; 256, 1; 262, 1; 861, 1; 864, 1; 868, 1; 869, 1; 874, 1; 1519, 1; 1527, 1; 1800, 1; 1841, 1); in gratulatione ([Ennius Hecub. fr. 12 Vahlen²]; Plaut. Amph. 180; Captiv. 922; Casin. 841; Merc. 842; Mil. Glor. 1227; Mostell. 431; Pers. 251, 753; Poenul. 1274; Rud. 358, 906; Stich. 402; Trin. 820; Terent. Phorm. 894; Liv. XXVIII 13, 2; Ovid. Trist. IV 10, 17; Vell. Paterc. II 35, 4; Tacit. Hist. IV 64; Ann. XV 64; [Stat. Theb. IV 825]; Gell. Noct. Attic. IV 19; Apul. met. XI 25;

Martian. Capell. VI 575); in devotione h. e. exsecratione in iure iurando et in asseverationibus sibi ipsi facta (Plaut. Amph. 933; Mostell. 191; Poenul. 488; Liv. II 45, 14; IX 5, 3; XXI 45, 8; XXII 53, 11; Senec. de benef. II 27, 1; IV 31, 4; Petron. satir. 62; Paulus Festi p. 115; CIL II 172); in iure iurando (Plaut. Rud. 1338; Sil. Ital. Pun. X 432); in asseveratione (Plaut. Bacch. 892; Cistell. 512); deorum in testatione (Plaut. Men. 812; Cic. de imp. 70; Verg. Aen. II 153; Liv. I 59, 1; VI 29, 2; VIII 5, 8; IX 31, 10; XXXV*31; [Senec. Phaedr. 888; Thyest. 1068; Troad. 644]; Petron. sat. 122; Script. Hist. Aug. vit. Alex. Sever. 17; Anthol. Latin. I 17, 1; CIL VI 23355 a); in exsecratione (Verg. Aen. II 535; Ovid. met. I 8, 113; Ibis 67; [Senec. Med. 1; Oedip. 249;] Lucan. Pharsal. VII 770; [Val. Flacc. Arg. I 785]; Sil. Ital. Pun. VI 410; [Stat. Theb. I 56]; Martial epigr. VII 67, 16; Apul. met. XI 21; Anthol. Latin. I 17, 449); in defixione h. e. in adversarii cuiusdam exsecratione ad deos inferos missa plumboque mandata (n. 52—84); cui affinis est usus in exercenda arte magica (n. 96—114).

Praeterea deos invocabant certis locis aut temporibus, quibus deos maxime interesse putabant:

Delubro quodam conspecto:

Iuvenal. satir. X 290:

Formam optat modico pueris maiore puellis
Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater.

Apuleius Apol. 56 de Aemiliano: *Nulli deo ad istoc aevi supplicavit, nullum templum frequentavit, si fanum aliquod praetereat, nefas habet adorandi gratia manus labris admovere.* Minucius Felix Octavius II 4: *Caecilius simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens osculum labiis impressit.*

omnibus locis sacratis:

Apuleius Florida I 1: *Ut ferme religiosis viantium moris est, cum aliqui lucus aut aliqui locus sanctus in via oblatus est, votum postulare, pomum adponere, paulisper adsidere: ita mihi ingresso sanctissimam istam civitatem, quanquam oppido festinem, praefanda venia et habenda oratio et inhibenda properatio est. Neque*

enim iustius religiosam moram viatori obiecerit aut ara floribus redimita aut spelunca frondibus inumbrata aut quercus cornibus onerata ... vel enim colliculus sepimine consecratus vel truncus dolamine effigiatus vel cespes libamine fumigatus vel lapis unguine delibutus. Parva haec quippe et quanquam paucis percontantibus adorata, tamen ignorantibus transcursa. Cf. Tibull. I 1, 11 sqq.

locis horridis ([Ovid. met. VI 327]; Sil. Ital. Pun. VI 166).

Matutino tempore (Horat. carm. IV 5, 39; sermon. II 3, 282; Ovid. amor. III 7, 53; Senec. epist. 95, 47; [Stat. Theb. IX 606]; Front. ed. Nab. p. 69 ad M. Caes. et invic. IV 6, p. 83; V 25; Script. hist. Aug. vit. Alex. Sever. 29; Apul. Met. IX 27; Prud. Perist. XI 189; Anthol. Lat. I 26, 1).

Cotidie nonnumquam:

Plautus[1] Aulul. 23 (loquitur Lar familiaris):

Huic filia unast: ea mihi cottidie
Aut ture aut vino aut aliqui semper supplicat.

Livius XXVI 19, 5 (de Scipione Africano maiore): *Ad hoc iam inde ab initio praeparans animos, ex quo togam virilem sumpsit, nullo die prius ullam publicam privatamque rem egit, quam in Capitolium iret ingressusque aedem consideret.* Cf. Valer. Max. I 2, 2.

kalendis et idibus:

Cato de agric. 142: *Kalendis, idibus festus dies cum erit,* (sc. *vilicus*) *coronam in focum indat, per eosdemque dies lari familiari pro copia supplicet.*

festis deorum diebus (Horat. carm. III 18: Faunalia; Ovid. fast. III 255: Matronalià Iunonis; fast. IV 747: Palilia; Martial. epigr. XII 62: Saturnalia); die natali[2] (Plaut. Bacch. 347; Tibull. IV 5, 9; Ovid. Trist. V 5, 13).

anniversariis gloriae partae diebus:

Liv. XXXVIII 51, 9. Scipio loquitur: *Hoc die ... tribuni plebis vosque Quirites, cum Hannibale et Carthaginiensibus*

[1] Plautus, quippe qui Romanos mores caerimoniasque saepius fabulis ex Graeca poesi receptis inserere soleat, etiam hoc loco, quo de Lare familiari agitur, usum vere Romanum nobis proponere videtur.

[2] W. Schmidt *Geburtstag im Altertum* RGVV VII 1, 28.

signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. Itaque cum hodie litibus et iurgiis supersedere aequum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iovem optimum maximum Iunonemque et Minervam ceterosque deos, qui Capitolio atque arci praesident, salutandos ibo hisque gratias agam, quod mihi et hoc ipso die et saepe alias egregie gerendae rei publicae mentem facultatemque dederunt. Cf. Valer. Maxim. III 7, 1.

Etiam in rebus ineundis agendisque Romani suscipiebant privatas, ut supra (p. 57) publicas vidimus, deorum comprecationes.

In rebus ineundis. Cic. in Vatin. 14: *Omnium rerum magnarum ab dis immortalibus principia ducuntur*; cf. Plin. Paneg. I; (ante laborem suscipiendum: Plaut. Rud. 305; antequam greges in pascua mittantur: Calpurn. Bucol. V 24; ingrediuntur viam: Petron. sat. 117; fugam incipiunt: Apul. metam. IV 2; [in coepto: Senec. Phaedr. 406; ante discum iaciendum Stat. Theb. VI 699]); in componendis carminibus vel operibus conscribendis (conferas Fr. Knickenberg, *De deorum invocationibus* eqs., qui in dissertatione supra p. 2 laudata omnes, qui ad hanc rem pertinent, poetarum locos attulit praetermissis exemplis soluta oratione scriptis, quae huc afferam: Varro de re rust. I 1, 4; Liv. praef. 13; Valer. Maxim. I praef.; V 7 praef.; VI 1 praef.; Plin. nat. hist. XXV 2, 4; Plin. epist. VIII 4, 5); in re agenda (Plaut. Poen. 950, 1187); in orationibus dicendis (n. 88—91).

Preces mittebant ad deos inprimis in rebus domesticis agendis, quibus prisci populi sacri aliquid inesse putabant:

Ante cenam (Quint. declam. 301); in bibendo (Horat. carm. IV 5, 29; IV 15, 25); in nuptiis (Plaut. Aulul. 385; Arnob. adv. nat. II 67); novum domicilium intrantes (Plaut. Trin. 39).

Privati itinera facientes eodem modo precati sunt quo dux ad bellum proficiscens (supra p. 56).

In profectione (Plaut. Merc. 834, 865; Mil. Glor. 1329; Tibull. I 10, 15; Ovid. Trist. I 3, 20); postquam perventum est (dominus cum ad villam venit: Cato de agric. 2, 1; Aeneas cum in Italiam, novam illam terram, advenit: Vergil. Aen.

VII 133; Ovid. fast. I 509); post reditum (Plaut. Bacch. 172 Stich. 534; Terent. Phorm. 311; Script. Hist. Aug. vit. Alex. Sever. c. 56).

Deorum auxilium invocabant in aerumnis (n. 95; Plaut. Rud. 254, 694; [Ovid. met. I 337; V 618; Senec. Herc. fur. 205]; Apul. met. VI 4; VI 28; classe incensa: Verg. Aen. V 685; Turnus in summis angustiis: Verg. Aen. XII 776; Cocles cum in Tiberim insilit: n. 92; Scipio Trebiae fluctibus obrutus: Sil. Ital. Pun. IV 669; Tuccia Vestalis ad aquam cribro hauriendam condemnata: n. 94; Hersilia in summo discrimine: no. 93; rebus desperatis: Cat. LXXVI 17); malis ominibus acceptis[1] (Vergil. Aen. III 265 malo oraculo accepto; [Stat. Theb. VI 631 lite antecedente]); in tempestatibus (Horat. carm. II 16, 1; Ovid. Trist. I 2, 59; I 2, 105; I 11, 21; Lucan. Pharsal. V 665); in morbo (Tibull. III 5, 6 pro valetudine sua); in partu (Plaut. Amph. 720; Aulul. 692; Terent. Adelph. 486; Andr. 473; Cic. de nat. deor. II 27, 68); in pestilentia (Liv. III 7, 8; XXVIII 23, 7; [Stat. Theb. I 643]); in moriendo (Dido ante necem voluntariam: Verg. Aen. IV 607; cf. Sil. Ital. Pun. VIII 140; ante mortem voluntariam: Valer. Max. II 6, 8 ext.; Turnus ante mortem: Vergil. Aen. XII 646).

Quaeramus nunc, quando Romani, quod attinet ad bellum, privatim precibus adierint deos:

Pro reditu bellantium (Liv. XXVII 45, 8; [Stat. Theb. IX 605; X 49]; Claudian. de tert. cons. Honor. Aug. pan. 33); pro reditu suo (Liv. II 49, 7); ante proelium (Verg. Aen. X 252; Val. Max. I 2, 3; Sil. Ital. Pun. XVI 51; [Curt. Ruf. Hist. Alex. IV 13, 48; Stat. Theb. XI 503]); in proelio (Verg. Aen. IX 504; XI 785; Sil. Ital. Pun. XIV 396; XIV 440; [Valer. Flacc. Arg. VI 213; VI 288; Stat. Theb. IX 683]).

Hae preces iam e parte earum sunt, quae pro salute fiunt. Alias habes pro salute propria (Plin. nat. hist. XXVIII 22 contra effascinationem); alias pro salute impera-

---

[1] Etiam bonis ominibus acceptis Romani precabantur: Verg. Aen. II 600; [Ovid. met. IX 702]; Liv. VII 26, 4; Sil. Ital. Pun. IV 125.

toris (n. 85; Propert. III 10; Ovid. met. XV 861; Calpurn. Bucol. IV 137; Petron. satir. 60; Stat. Silv. III 4, 99; IV 2, 57; Tacit. Annal. XVI 22; Plin. epist. 88, paneg. 23; Martial. epigr. IV 1; VII 60; X 34; XI 4; Fronto ed. Nab. p. 83 ad M. Ant. Caes. et inv. V 28, p. 94 ad M. Anton. imp. et inv. I 1; Tertull. Apol. 30; Firmic. Matern. I 4 extr.; Incert. Consol. ad Liv. 411 et 471, PLM I p. 119); pro salute aliorum (pro filio facinus audax suscipienti: Sil. Ital. Pun. XV 361; pro salute amici: Fronto ed. Nab. p. 47 ad M. Caes. et inv. III 9); pro valetudine aliorum (pro valetudine amicae: Terent. Andr. 232; Ovid. amor. II 13, 7; pro valetudine liberorum: Val. Max. II 4, 5; [pro valetudine gubernatoris: Valer. Flacc. Arg. V 15]); etiam huc pertinent bona omina aliis dicta (Vergil. Aen. I 603; Stat. Silv. IV 2, 57; Martial. epigr. X 31, 1; Fronto ed. Nab. p. 4 ad M. Caes. et inv. I 2; Anthol. Latin. I 22, 3) et propemptica h. e. carmina, quibus in amicos loco decedentes fausta omina congeruntur (Horat. carm. I 3, 1; Mart. epigr. IX 90, 3; Stat. Silv. III 2). Neque in fine praeteream Romanorum precationes pro defunctis factae (n. 86; Ovid. amor. III 9, 67; Tacit. agric. 46; Iuven. satir. VII 207; Anthol. Latin. II 132, 1; 492, 1; 971, 8; 1029, 5; 1039, 1; 1043, 3; 1047, 1; 1048, 1; 1117, 1; 1121, 1; 1147, 3; 1153, 5; 1155, 5; 1164, 1; 1217, 1; 1237, 15; 1257, 9; 1315, 1; 1470, 1).

Luce clarius ex hoc indice apparere putem, totam Romanorum vitam et publicam et privatam adiutam fuisse deorum immortalium auxilio. Iam demonstrare velim preces magnam vim habuisse apud Romanos etiam ex eo posse intellegi, quod tot verba, quibus designatur precandi actus, in scriptoribus lapidibusque nobis occurrunt. Qua in re persequenda cum singula verba proferam, ubi occasio detur, arbitrer esse adnotandum, quae populi opinio eluceat ex singulis vocabulis. Cumque permulta huius generis verba colligere possimus, equidem singula exempla litterarum ordine disponam simulque quantum fieri potest, etymologicam, quam grammatici vocant, rationem respiciam.

Accersire (arcessere) deos

Pers. Sat. II 45 (deos absentes arcessere)

(cantare) excantare deos:
Lucan. Phars. VI 686 (Erichtho saga in exercenda arte magica carmine inferos ex Erebo excantat)
ciere deos:
Senec. Troad. 1101; Valer. Flacc. Arg. IV 549; VII 313; VIII 69 (deum absentem ciere)
(citare) excitare deos
n. 63 (deus ex inferis ubi habitat excitatur)
(clamare) conclamare deos
Senec. Oedip. 975 (dei omnes absentes conclamantur)
(fari) affari deos
Attius Tereus fr. 4 (Ribb. I p. 218); Verg. Aen. II 700; Ovid. fast. VI 303 (verbis adire deos vel praesentes vel procul absentes)
profari (absolute adhibitum)
Sil. Ital. Pun. XVII 35 (verba dicuntur, sequuntur preces; simplex deorum vel absentium vel praesentium allocutio)
gratulari deis
Ennius Hecub. fr. 12 (Vahlen[2] p. 154); Afran. Cinerarius fr. 1 (Ribb. II p. 168); Terent. Heaut. Tim. 879; Senec. epist. 67, 11; Gellius Noct. Attic. IV 18, 3 (deis gratias agere)
(iurare) adiurare daemones
n. 67, 71, 75, 78, 79, 80; Lactant. instit. div. II 15, 3; Minuc. Felix Octav. 27, 7 (daemones iuridico, ut ita dicam, modo obtestari)
(loqui) adloqui deos
Plaut. Amph. 181; Ovid. Trist. V 2, 47; Senec. epist. 107, 10 (deos vel praesentes vel absentes appellare)
optare a deis
Cicero in Catilin. II 7, 15; Vergil. Aen. X 279; Ovid. fast. I 695; Trist. III 8, 13; Senec. de benef. III 27, 1; Iuvenal. satir. III 276
exoptare
Pers. sat. II 44
orare deos
n. 53; Plaut. Asin. 783; Verg. Aen. IX 24; Liv. XXVI 9, 8; XXXVIII 51, 11; XXXX 4, 12; Horat. ars poet. 200;

Fronto ed. Nab. p. 47 ad M. Caes. et invic. III 9 (deos ore adloqui)

adorare deos

Verg. Aen. II 700; III 437; X 677; Propert. I 4, 27; Liv. VI 12, 7; VII 40, 4; XXI 17, 4; Ovid. met. I 320; XI 247; fast. IV 660; trist. III 8, 13; ex Pont. III 1, 97; Anton. Mus. prec. terr. 20; Senec. Herc. fur. 914; Agam. 393a; Pseudo-Seneca Octav. 761; Senec. epist. 67, 11; 115, 4; Lucan. Pharsal. VI 254; Sil. Ital. Pun. III 976; Plin. nat. hist. XII 3; Iuvenal. Satir. X 62; XV 2; Anthol. Latin. II 873 (deum absentem vel praesentem verbis sive precibus adire)

exorare deos

Ovid. Trist. II 22; ex Pont. IV 8, 22; Anton. Mus. prec. omn. herb. vs. 1 (Baehrens PLM I p. 138); Senec. de benef. V 25, 4; Petron. Satir. 44; Stat. Theb. VIII 327; Martial. epigr. XI 60, 9; Iuvenal. satir. IX 138 (vehementer deos orare)

(pellare) appellare deos

n. 88; pro Quinctio 94; Senec. Troad. 665; Fronto ed. Nab. p. 83 ad M. Caes. et invic. V 25 (deos vel praesentes vel absentes alloqui)

compellare deos

Senec. Oedip. 1042 (deos sive praesentes sive absentes affari)

petere deos

n. 86; Attius Tereus fr. 4 (Ribb. I p. 218); Martial. epigr. IV 1, 9 (deos precibus adire)

(plorare) implorare deos

n. 88; Caecil. Stat. Syneph. fr. 3 (Ribb. II p. 81); Cicero in Catilin. II 13, 28; Vergil. Aen. VII 576; X 18; Horat. epist. I 1, 135; Valer. Flacc. III 639; Fronto ed. Nab. p. 47 ad M. Caes. et inv. III 9 (lacrimis deorum, qui humanis animis existimantur praediti, movere misericordiam)

(poscere) exposcere deos aliquid

Ennius Hectoris Lutra fr. 9 (Vahlen[2] p. 148); Liv. I 16, 3; VII 40, 5 (a deis vi quadam coactis aliquid postulare)

precari deos

n. 47, 51, 72, 73, 89; Cic. in Verr. Act. II, lib. IV 71; in Catilin. II 39; pro Murena I 1; pro Rabirio 5; de nat. deor. I 119, 122; Varro de re rustic. I 1, 6; Horat. ars poet. 200; Liv. I 18, 8; XXXIX 15, 2; Ovid. fast. IV 247; Senec. Herc. Oet. 1416; epist. 115, 4; M. Manilius astron. I 22 (deos precibus adire)

adprecari deos

Horat. carm. IV 15, 28; Apul. met. IV 29; VI 3; XI 1 (deos absentes precando advocare)

comprecari deos

Plaut. Amph. 740; Mil. Glor. 394; Terent. Adelph. 698 et 704; Catull. 64, 191; Ovid. met. X 640; XIV 379; Senec. Med. 680 et 740; Apul. metam. IV 1; Anthol. Latin. II 1155 (complures deos precando in unum convocare)

deprecari deos

Anton. Mus. prec. omn. herb. 1 (Baehrens PLM I p. 138); Senec. Herc. Oet. 541, 1332; Lucan. Pharsal. VII 381; IX 213; Valer. Flacc. Arg. VIII 53 (deos in caelo versantes precando devocare aut praesentes precando avertere)

imprecari deos

Apul. metam. II 28 (sacerdos in Solem deum orientem versus precatur)

quaesere deos

Plaut. Aulul. 611; Casin. 389, 396; Rud. 479, 1256; Terent. Adelph. 275, 298, 491, Andria 487; Cic. ad famil. XI 3, 4; Stat. Theb. VI 636 (deos rogare)

rogare deos

n. 53, 59; Senec. Agam. 511; de benef. V 25, 4; Martial. epigr. I 39, 6; I 77, 1; VIII 8, 3.

(sacrare) obsecrare deos

n. 93; Caecil. Stat. Syneph. fr. 3 (Ribb. II p. 81); Plaut. Rud. 694; Plin. nat. hist. XXVIII 11; Suet. Tiber. 21; Fronto ed. Nab. p. 47 ad M. Caes. et invic. III 9 (deos sacro ritu commovere, ut optata expleant)

salutare deos

Plaut. Curcul. 70; Mil. Glor. 1339; Stich. 534; Terent.

Phorm. 311; Cato de agric. II 1; Cicero pro Sex. Rosc. Amer. 56; Ovid. trist. I 3, 21; ex Pont. II 8, 15; Stat. silv. IV 2, 61; Sil. Ital. Pun. IV 215; Martial. epigr. VIII 8, 3; XII 77, 1 (deos praesentes verbo *salve* adloqui)

consalutare deum

Suet. Calig. 22 (complures deum simul salutant)

sollicitare deos

Tibull. III 4, 53; Senec. Med. 271; Lucan. Pharsal. V 69; Sil. Ital. Pun. VI 562 (deos auxiliari nolentes precibus vexare, agitare)

supplicare deis

Plaut. Aulul. prol. 24; Curcul. 527; Rud. prol. 26; Cato de agric. 143; Gell. annal. fr. 12 (Peter); Liv. III 7, 7; XXIII 11, 1; XXVII 23, 7; XXXVI 37, 5; Vitruv. IV 5, 1; supplicari: Macrob. Saturn. II 13, 8; Plin. nat. hist. XIII 2 (ad deos placandos genibus nixis humilique habitu preces mittere)

testari deos

Plaut. Rud. 1339; Cic. ad Q. frat. I 3, 1; pro A. Cluent. 194; Vergil. Aen. II 154; Propert. II 1, 37; Senec. Phaedr. 604, Thyest. 1102, Troad. 644; Lucan. Pharsal. VII 690; Sil. Ital. Pun. II 282 (deos iuridico modo testes advocare)

attestari deos

Martian. Capell. V 436 (deos absentes testando advocare)

contestari deos

Cic. in Verr. Act. II lib. IV 67; Anthol. Latin. II 1029, 5 (complures deos testando advocare)

obtestari deos

n. 88; Caes. Bell. Gall. IV 25, 3; Senec. Agam. 405 a; Tacit. annal. I 21 (deos testes invocare)

venerari deos

Ennius annal. lib. I fr. 63 (Vahlen[2] p. 19); Plaut. Bacch. 173; Rud. 305, 1349; Trin. 40; Cic. de nat. deor. I 117; I 122; III 53; Tuscul. I 114; ad famil. VI 7, 2; Verg. Aen. V 745; Senec. epist. 67, 11; fr. 120 (Haase); Calpurn. Bucol. I 91; Valer. Max. I 6, 13; Stat. Achill. I 697 (deos verecundia et cultu prosequi, ut ad ea, quae sunt petita, praebenda commoveantur)

advenerari deos
Varro de re rust. I 1, 6 (deos absentes venerando advocare)
devenerari deos
Ovid. Heroid. II 18 (deos de caelo devocare)
vocare deos
Vergil. Aen. III 264; IV 680; V 234; V 686; VI 247; Horat. carm. I 14, 10; I 30, 2; Calpurn. Bucol. V 27; Lucan. Pharsal. VII 168 (deos absentes arcessere)
advocare deos
Catull. 40, 3; Varro de re rust. I 1, 7; Tacit. Hist. IV 41; Petron. fr. 37; Senec. Herc. Oet. 539; ad Polyb. de cons. XII 4, fr. 36 (Haase); Fronto ed. Nab. p. 47 ad M. Caes. et invic. III 9; August. de civ. dei IV 22 (deos absentes ad se vocare)
devocare deos
Liv. VI 20, 9; Plin. nat. hist. XXVIII 14 (deos de caelo aut alio loco altiore, ubi versantur, deducere precatione)
evocare deos
Ovid. Amor. I 8, 17 (deos absentes ex inferis arcessere)
invocare deos
Plaut. Amph. 1061; Asin. 781; Curc. 358; Merc. 864; Varro de re rustic. I 1, 4; Cic. Tusc. IV 34, 73; de nat. deor. II 27, 68; Liv. III 45, 14; Anton. Mus. prec. terr. 20 (Baehrens PLM I p. 38); Senec. Phaedr. 663 et 888; Pseudo-Senec. Octav. 135; Tacit. annal. XVI 31; Curt. Ruf. bell. Alex. IV 10, 33; V 12, 3; Valer. Maxim. I praef. (precantes deos absentes arcessunt, in fanum, in sacra, in hostiam, in se ipsos ut descendant)
provocare deos
Stat. Theb. XII 186 (deos ex inferis elicere).

Ab illis precandi vocibus modo allatis differunt verba *voveo, votum suscipio* sive *nuncupo*, quae cum ad ipsas precationes non sint referendae, sed ad proprium voti genus pertineant, hoc loco omittam. Nam votum licet cum precationibus arta cognatione coniunctum sit, tamen ab ipsis adorationibus est segregandum [1]. Votum enim est ea precatio, quae destinat

[1] Cf. G. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 319.

non solum ea quae is, qui votum facit, a deo petit, sed etiam formis quibusdam iuridicis definit ea, quae, si precibus erit satisfactum, se ipsum oblaturum esse pollicetur.

Enumeratis precandi verbis transgrediamur ad precationis nomina, quae grammatici vocant, substantiva, in quibus enumerandis idem egi, quod supra p. 63 de verbis dixi. Sunt autem haec:

Carmen
Liv. XXXIX 51, 1; Senec. consol. ad Marc. 13, 1; Plin. nat. hist. XXVIII 13; Valer. Maxim. IV 1, 10; Macrob. Saturn. III 9, 7 (precatio ad numeros quosdam alligata)

gratulatio
Cic. ad fam. XI 18, 3; in Catil. IV 20; Philipp. XIV 6.

oratio
Apul. florid. I 1.

adoratio
Plin. nat. hist. XXVIII 22; XXIX 67; Apul. metam. IV 28.

imploratio
Cicero de nat. deor. II 196.

precatio
Cic. pro Mur. I 1; Tuscul. I 114; de nat. deor. II 67; Liv. X 28, 15; XXXI 5, 7; XXXIX 15, 1; Plin. nat. hist. XXVIII 13.

comprecatio
Liv. XXXIX 12, 2; Gell. Noct. Attic. XIII 22, 1.

deprecatio
Cic. pro Rosc. Comoed. 46; Plin. nat. hist. XXVIII 19.

prex
Verg. Aen. III 437; Horat. epist. II 1, 135; Ovid. met. VIII 271; fast. VI 251.

preces
Cic. pro Planc. 97; pro Cluent. 201; de domo 140; de nat. deor. I 3; Senec. Herc. Oet. 539 et 1691; Plin. nat. hist. XXIX 66; Martial. epigr. XII 77, 1.

obsecratio
Cic. de harusp. resp. 63; Liv. IV 21, 5; V 18, 11; XVI 23, 6; XXVII 11 6; XXXI 9, 6; Sueton. Claud. 22.

salutatio

Vitruv. IV 5, 2; Senec. epist. 95, 47.

supplicatio

Cic. in Catilin. III 15; Philipp. XIV 37; Caes. bell. Gall. VII 90; Liv. V 32, 3; XXI 17, 4; XXXVI 37, 5 saepius; Sueton. Caes. 24 extr.

obtestatio

Liv. XXVII 50, 5.

veneratio

Serv. ad Aen. VII 610.

invocatio

Quint. inst. or. X 1, 48; Paulus Festi p. 107, 17 M; Servius ad Aen. IX 402.

Quos indices si perlustramus, videmus permulta verba, quibus ipse designatur precandi actus, multaque nomina precationis substantiva pertinere ad locum, ubi deus moratur, cum homines credant deum vel adesse vel abesse. Praesentem deum indicari apparet verbis *salutare* (*salutatio*), *consalutare*. Ex nonnullis vocabulis, quae simplices loquendi voces sunt, velut *affari*, *profari*, *alloqui*, *orare* (*oratio*), *adorare* (*adoratio*), *exorare*, *appellare*, *compellare*, nihil certi colligi potest, quia cum ad praesentes tum ad absentes deos, qui ex longinquo audiant, referri possunt. Sed verba vocandi ceteraque vocabula eis praepositionibus praedita, quibus longinquitas quaedam indicatur, ad deos, qui absunt, referenda sunt: *ciere*, *vocare*, *accersire*, *adiurare*, *adprecari*, *attestari*, *advenerari*, *advocare*, *implorare* (*imploratio*), *imprecari*, *invocare* (*invocatio*). Ex eis autem verbis, quibus exhibetur praepositio *de*, intellegi potest deos in caelo aut certe altiore quodam loco versantes cogitari: *deprecari*, (*deprecatio*), *devenerari*, *devocare*. Atque deorum sedes in inferis sitae significantur vocibus *excantare*, *excitare*, *evocare*, *provocare*. Neque solum ex precandi vocabulis colligi potest, quo loco dei versari putentur, sed etiam facile nonnumquam conicitur, qua ratione preces deis offerantur. Nam voces: *accersire*, *ciere*, *excitare*, *conclamare*, *vocare*, *advocare*, *devocare*, *invocare*, *provocare* spectare putem ad comprecationes magna voce[1] susceptas. Sed verba *affari*,

[1] S. Sudhaus *Lautes und leises Beten*, *Archiv f. R. Wiss.* IX (1906)

profari, *adloqui*, *orare*, *adorare*, *exorare*, *appellare*, *compellare* significare videntur invocationes vulgari ac cottidiana loquendi ratione ad deos missas. Denique ex vocabulis *excantare*, *carmen* cognoscitur agi de precationibus certa quadam numerorum moderatione licet rudissima astrictis. Atque etiam nonnulla invenimus verba, quae pertinent ad precandi ritum ac gestum, dico verba: *implorare*, *supplicare*, *venerari*, *advenerari*, *devenerari*. Nam ad precantium morem deorum misericordiam lacrimis concitandi videtur referendum esse verbum *plorare*; *venerari* autem vocabulo admonemur de adorantium consuetudine, quam secuti invocantes, cum summam simulent verecundiam amoremque, deis ambitiosis vanisque blandiri conantur; *supplicare* vox spectat ad illam opinionem, qua adducantur precantes, ut credant deorum veniam pacemque facile sese posse exorare, si genibus nixi humilesque, ut victi ante victorem iratum solent, deos precibus adeant[1]. Praeterea nobis occurrunt nonnulla vocabula notabilia, quas hoc loco censeam esse seorsum tractanda. Ac primum quidem moneam de verbo *exposco*, e quo opinio elucet deos hominum mortalium postulatione cogi posse, ut appareant. Quae opinio potestate deos minores esse mortalibus satis rudis et inculta est. Cumque rudes opiniones eaedem priscae esse soleant, ego *exposcendi* verbum e remota antiquitate superstitem esse putem. Deinde conspiciuntur voces *adiuro*, *testor*, *contestor*, *obtestor* (*obtestatio*), quae ad tempora illa spectare videntur, quibus homines cum deis instituisse apparet commercium quasi iuridicum. Denique quod attinet ad formam *sollicitare deos*, existimem verbum illud pertinere ad sanctiorem quandam deorum cogitationem deos non posse cogi, ut precantes adiuvent, sed ferre auxilium non nisi volentes, atque si nolint, precibus tantum vexari atque inquietari posse.

Quibus expeditis antequam ad ipsam precationum Romanarum structuram accedam, primum quidem obiter loquamur

---

p. 185 sqq.; H. Schmidt *Veteres philosophi quomodo iudicaverint de precibus*, RGVV IV 55 sqq. Sed de hac re infra plura dicturus sum.

[1] R. Heinze *Supplicium*, *Arch. für Lat. Lexic.* XV 1906 p. 90 sqq.; ceterum, quod attinet ad tria illa verba modo allata, infra ad caput tertium lectorem reiciam.

de vario precationum ambitu, deinde videamus, num singula sint precationum genera, tum accuratius cognoscamus, quantam vim attribuerint Romani precationibus.

Ac nobis permagnum numerum Romanarum precationum contuentibus exquirentibusque, quam amplae sint singulae deorum invocationes, statim ingens illarum varietas conspicitur. Inveniuntur enim cum preces eximia brevitate, tum litaniae mira amplitudine insignes. Sed haec quidem facile explicari posse videantur, si ipsam precationum et originem et progressionem persequemur. Atque principio quidem preces fuisse brevissimas iam ex eo intellegi potest, quod vetustissimis temporibus homines omnis fere cultus et humanitatis expertes, quippe qui animis incultis fuerint, a deis non nisi ea, quae opus erat, poposcisse verisimile est verbaque multa sprevisse. Praeterea omnium populorum in cultu simplicia esse vetustiora semper fere invenitur. Huc accedit, quod vestustissimae illius aetatis precantes putasse videntur precationem nullam vim habere nisi sine ulla haesitatione nuncuparetur. Sed quo longior deorum invocatio est, eo facilius fieri potest, ut lapsus aliquis interveniat. Quapropter nescio an etiam hanc ob causam brevis adoratio ab illis antelata sit ampliori precationi. Exemplum brevium invocationum sit n. 18: *Mars vigila*; brevibus sententiis, quibus aut dona deis offerebant aut deorum tutelam auxiliumque expetebant, concepta sunt supra n. 47, 94; Plaut. Poen. 1181, Merc. 834. Brevium autem precum genus in populo servatum esse affirmaverim, etiamsi postea natae sint ampliores precationum formae. Nam brevissimas illas precationes simplicis formae et sententiae, quae passim in comicorum Romanorum fabulis nobis occurrunt [1], huc referam. Quae etiam eam ob rem vetustiores esse videntur, quod saepissime ac paene sine mente ac ratione, ut obsoletae dicendi formulae adhibeantur, ita ut precationum usu detritarum simillimae evadant.

Ac posterioribus temporibus progrediente eloquentia immortales quoque verborum ambagibus artificiosis gaudebant. Iam cum necesse esset precantes multa facere verba, preca-

[1] Plaut. Menaechm. 114: *Iuppiter supreme, serva me*; Plaut. Rud. 1298; Terent. Adelph. 486; Andr. 473; Eun. 1048 aliae.

tionum carmina orta sunt longiora, quorum numerus magnus ad nos pervenit, e quo exempli gratia commemorem supra n. 39, quod continetur quadraginta quinque lapidis latissimi versibus; conferas etiam supra n. 34—38.

Nunc quaeramus, utrum, si varium ambitum neglexeris, distingui possint varia precationum genera. Huc proferenda sunt ea, quae Valerius Maximus I 1, 1 de singulis quibusdam precationum generibus dixerit: *Prisco enim instituto rebus divinis opera datur, cum aliquid commendandum est precatione, cum aliquid exposcendum voto, cum solvendum gratulatione, cum inquirendum vel extis vel sortibus vel impetrito, cum sollemni ritu peragendum sacrificio, quo etiam ostentorum et fulgurum denuntiationes procurantur.* Similia affert Plinius verba Nat. hist. XXVIII 11: *Praeterea alia sunt verba impetritis, alia depulsoriis, alia commendationis.* Neque negandum est re vera talem quandam inter singula precationum genera differentiam extitisse; diversum petendi genus diversas genuit formulas. Sed hoc discrimen valde fluxum fuit, praesertim cum Valerio responderi possit et ipsa quoque precatione interdum aliquid expeti, ipsoque voto aliquid commendari nec non praeter gratulationes sacrificio vel dedicatione solvi aliquid. Praeterea progrediente disquisitione intellegemus hanc differentiam non esse nisi secundariam, primariam autem sermonis structuram omnibus precibus communem esse. Quare Valerii et Plinii separatione neglecta de precibus in universum agetur.

Sed priusquam ad ipsum sermonem observandum transgrediamur, una adhuc veterum Romanorum de natura precationis opinio paucis explananda est. Evolvamus Plinium in naturali historia XXVIII 10 sqq., quo loco agitur de mira quadam precationum et carminum vi. Quae cum commemorentur, Plinius variorum, quae ipsius temporibus existebant, carminum mentionem facit. In omnibus enim rebus sacris faciundis opus esse precationibus, quae singulari quadam vi praeditae sint: *victimas caedi sine precatione non videtur referre aut deos rite consuli.* Romani enim existimabant precationibus omnibus, quibus cum deis commercium inibant, siquidem certis quibusdam formulis conceptae erant, sacrum quoddam perfici negotium, quo rite peracto dei simul cogerentur ad rem, quae

ipsis precationibus indicaretur, suscipiendam. Atque haud multo infra Plinius, ut precationum vim illam nobis demonstret exemplis, quae ipsius temporibus accidebant, haec fere tradit (l. l. 12 sq.): *Boario vero in foro Graecum Graecamque defossos aut aliarum gentium, cum quibus tum res esset, etiam nostra aetas vidit. Cuius sacri precationem, qua solet praeire XVvirum collegii magister, si quis legat, profecto vim carminum fateatur omnia ea adprobantibus DCCCXXX annorum eventibus. Vestales nostras hodie credimus nondum egressa urbe mancipia fugitiva retinere in loco precatione, cum si semel recipiatur ea ratio et deos preces aliquas exaudire aut ullis moveri verbis confitendum sit de tota coniectatione; prisci quidem nostri perpetuo talia providere difficillimumque ex his fulmina elici, ut suo loco* (Plin. II 140) *docuimus.* Ac si accuratius hunc Plinii locum consideraverimus, facile intellegemus agi de magicis quibusdam superstitionibus vimque illam precationum singularem esse vim magicam. Nam illae Vestalium precationes continentur diris carminibus magicis, quibus *mancipia fugitiva nondum urbe egressa* loco, ubicumque versantur, immobiles defigantur; fulmina eliciuntur magica quadam qua dei cogantur vi. Adnotandum est harum precum originem, ut superstitiones sunt satis rudes et cohaerent cum ritibus prisco tempore institutis, ad cascam antiquitatem redire. Praeterea de eliciendo fulmine Plinius mentionem fecerat iam priore quodam Naturalis Historiae loco (II 140), quo item invenimus illam vim magicam deos cogentem: *Extat annalium memoria sacris quibusdam et precationibus vel cogi fulmina vel impetrari. Vetus fama Etruriae est impetratum, Volsinios urbem depopulatis agris subeunte monstro, quod vocavere Oltam, evocatum a Porsina suo rege. Et ante eum a Numa saepius hoc factitatum in primo suorum annalium tradit L. Piso* (H. Peter Hist. Rom. rel. I fr. 10 p. 122) *gravis auctor, quod imitatum parum rite Tullum Hostilium ictum fulmine.* Hoc quoque ex loco facile intellegi potest antiquissimis temporibus Romanorum precationes arte cohaerere cum canticis magicis. De ipsius Tulli Hostilii calamitate conferendus est tertius, ex quo aliquid certi concludi potest, Plinii locus, Nat. hist. XXVIII 14: *L. Piso* (H. Peter Hist. Rom. rel. I fr. 13 p. 123) *annalium auctor est Tullum Hostilium regem ex Numae libris*

eodem, quo illum, sacrificio Iovem de caelo devocare conatum, quoniam parum rite quaedam fecisset, fulmine ictum, multi vero magnarum rerum fata et ostenta verbis permutari. Facile cognoscimus hoc loco iterum agi de magica quadam, quibus dei cogantur vi. Ipse Tullus Hostilius, qui Iovem precatione cogebat, fulmine ictus est. Nam in illum regem vis magica se converterat eodem fere modo, quo magum quendam, quem, cum formula magica non rite usus esset, a daemonibus esse interfectum saepe audimus. Etiam ex Festi loco (p. 280 M s. v. *resecrare*) colligitur summam fuisse attributam magicis, quae in precationibus adhibebantur, carminibus potentiam: *Resecrare solvere religione, utique cum reus populum comitiis oraverat per deos, ut eo periculo liberaretur, iubebat magistratus eum resecrare.* Quibus ex verbis elucet magicis carminibus sive precationibus nullo modo posse resisti, reumque, qui comitiis deos obsecravisset, *ut eo periculo liberaretur*, propter carminis vim a magistratibus resecrare iussum esse. Quod cum ita sit, non mirabimur, si in sequentibus quoque saepius magicam precationum originem offendemus.

Atque iam ad ipsum sermonem orantium transeamus.

Primo loco in omnibus fere precationibus nobis occurrit dei invocati nomen. Quod qua de causa in precationibus summi sit momenti, A. Dieterich *Eine Mithrasliturgie* Lips. 1903 p. 110 sqq. summa sagacitate ac subtilitate nobis exponit. Nam necessarium est precantem dei, quem aliquid rogare vult, scire nomen. Cum nomine enim illum deum ipsum eiusque vim habet in potestate sua eumque vi quadam magica ad ea, quae velit, perficienda cogere potest. Quam ob rem Romanis hoc quoque semper curae fuit, ut in precationibus vero nomine[1] deos invocarent. Ipse Arnobius (adv. nat. III 43 extr.) nobis tradit suis etiam temporibus cautionem summam nominis recte afferendi exstitisse: *Usque adeo res exigit propriatim deos scire nec ambigere nec dubitare de uniuscuiusque vi nominis, ne si alienis ritibus et appellationibus fuerint invocati, et aures habeant structas et piaculis nos teneant inexpiabilibus obligatos.* Eadem fere scripta sunt apud Gellium in capite, quod inscribitur

[1] Cf. H. Usener *Götternamen* Bonn. 1896 p. 335 sq.

Non esse compertum cui deo rem divinam fieri oporteat, cum terra movet, Noct. Att. II 28, 2 sq.: *Propterea veteres Romani cum in aliis vitae officiis tum in constituendis religionibus atque in dis immortalibus animadvertentes castissimi cautissimique, ubi terram movisse senserant nuntiatumve erat, ferias eius rei causa edicto imperabant, sed dei nomen, uti solet, cui servari ferias oportebat, statuere et ediscere quiescebant, ne alium pro alio nominando falsa religione populum alligarent. Eas ferias si quis polluisset piaculo ob hanc rem opus esset, hostiam „si deo si deae" immolabant idque ita ex decreto pontificum observatum esse M. Varro dicit, quoniam et qua vi et per quem deorum dearumque terra tremeret incertum esset*[1]. Romani igitur tum, cum nesciebant, cui deo venerationem deberent, pro certo nomine in precationibus utebantur formulis, quibus dei illius ignoti nomen circuitu plurium verborum enuntiabant. Quo facto non erat periculum, ne cum deum certo quodam nomine appellare studerent, falsum adhiberent nomen, quo dicto falsas religiones sive falsa debita susciperent deoque ipsi, cui necesse erat sacra fieri, non satisfacerent. Nam deus non nisi recto nomine appellatus cogi potest sacra accipere precesque audire.

Sed ipsis exemplis, quae haud pauca ad nos pervenerunt, illa Arnobii Gelliique testimonia comprobantur:

n. 21 (initium pervetustae devotionis): *Dispater, Veiovis, Manes, sive quo alio nomine fas est nominare.* Servius ad Aen. II 251: *Et Pontifices precabantur: „Iuppiter optime maxime sive quo alio nomine te appellari volueris". nam et ipse* (sc. Verg. Aen. IV 567) *ait: „sequimur te sancte deorum quisquis es".* n. 54: *Uti vos, Aquae ferventes sive vos Nimfas sive quo alio nomine voltis appellari.*

Atque eandem fere erroris exceptionem etiam in Romanorum sermone iuridico invenimus:

Emptio pueri vs. 2 (Bruns fontes iuris Romani[6] p. 288):

[1] Etiam in Graecis eadem fere religio videtur fuisse. Nam nemo est, qui nesciat notissimum illum qui legitur in actis apostolorum locum, quo Paulus apostolus Atheniensibus haec fere dicit (XVII 22 seq.): *Ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ. διερχόμενος γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν εὗρον καὶ βωμὸν ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο· ἀγνώστῳ θεῷ. ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν.*

Dasius Breucus emit mancipioque accepit puerum Apalaustum, sive is quo alio nomine est, natione Graecum. Cf. Emptio puellae vs. 2 (Bruns p. 289); Emptio ancillae vs. 4 (Bruns p. 290). — Donatio Iuliae Monimes vs. 1 (Bruns p. 296): *Locus sive is ager est.* Vidimus igitur precationum ac pactionum sermonem hac re inter sese consentire. Hoc nobis memoria erit tenendum, nam procedente opusculo iam plures surgent similitudines eiusdem generis.

Etiam Graecorum in litteris eadem fere formula saepissime invenitur. Ex infinita copia non nisi duo exempla proferam. Euripid. fragm. 912, 2 (Nauck [2]): *Ζεὺς εἴτ᾽ Ἅιδης ὀνομαζόμενος στέργεις* et Iuliani orat. VIII 231 A (Hertlein): *Ὦ Ζεῦ πάτερ ἢ ὅτι σοι φίλον ὄνομα καὶ ὅπως ὀνομάζεσθαι.* Sed verisimile est illam formulam, quippe quae non contra Romani cultus ac religionis naturam orta esse videatur atque iam in vetustissimis precationibus Romanis nobis occurrat, esse vere Romanam. Quod vero attinet ad poetarum Romanorum, quos non omittam, locos, dubium est, utrum illorum formulae nempe poetice alteratae manaverint ex veris precationibus Romanis, an ortae sint ex Graeco quodam exemplari ad imitandum proposito.

Catull. XXXIV 21 de Diana:

Sis quocumque tibi placet
sancta nomine

Horat. carm. saec. 13 sqq. de Ilithyia:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari
Seu Genitalis

Horat. sermon. II 6, 20 de Iano:

Matutine pater, seu Iane libentius audis

Calpurn. Bucol. IV 142 de Caesare:

Tuque mutata seu Iuppiter ipse figura
Caesar, ades, seu qui superum sub imagine falsa
Mortalique lates (es enim deus)

Anthol. Latin. II 1504 C vs. 34:

O Priape potens ami[ce salve]

Seu cupis genitor vocari et auctor
Orbis aut Physis ipsa Panque salve

Incertorum vers. fr. 8, FPR p. 328:

Luna deum, quae sola vides periuria volgi
Seu Cretaea magis seu tu Dictynna vocaris.

Apul. metam. XI 2 de Iside: *quoquo nomine quoquo ritu quaque facie te fas est invocare.* Martian. Capell. II 149: *Iuno pulchra licet aliud nomen tibi consortium caeleste tribuerit et nos a iuvando Iunonem unde et Iovem dicimus nominemus, sive te Lucinam, quod lucem nascentibus tribuas ac Lucetiam convenit nuncupare.*

Praeterea hoc loco commemorem formulas ab his vocabulis *quisquis* et *quicumque* incipientibus, quae ipsae quoque pertinent ad illam curam nomen verum afferendi. Quae cum non nisi in carminibus defixionibusque inveniantur, difficile est dictu, utrum sint formae vere Romanae an Graecae [1] a poetis et magis [2] receptae; fortasse etiam coniciendum est formas illas natas esse ex cogitatione utrique populo communi. Licet hoc in medio remaneat, tamen pro certo affirmari potest vocabulis illis eandem subesse opinionem ac formulae *sive quo alio nomine fas est nominare.*

Singulos locos iam proferam:

Plaut. Rud. 256:

⟨quisquis⟩ est deus, veneror, ut nos ex hac aerumna eximat.

Vergil. Aen. IV 577:

Sequimur te sancte deorum,
quisquis es.

Cf. Servium ad hunc Vergilii locum: *Quisquis es secundum pontificum morem qui sic precabantur: „Iuppiter omnipotens vel quo alio nomine te appellari volueris“.*

Ovid. met. III 613:

Quisquis es, o faveas nostrisque laboribus adsis.

Senec. Oedip. 248 de Iove:

Quisquis deorum regna placatus vides.

---

[1] Hom. Od. V 445: *κλῦθι ἄναξ, ὅτις ἐσσί*; Aesch. Agam. 160: *Ζεύς ὅστις ποτ᾽ ἐστίν, εἰ τόδ᾽ αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ, τοῦτο νιν προσεννέπω.*

[2] Nam ii qui defigebant, nonnumquam Graecas defixiones in comis exsecrationibus sequebantur, v. Mus. Rhen. LV (1900) 239.

Lucan. Pharsal. IX 860:

Tu quisquis superum commercia nostra perosus.

no. 66 vs. 27 sq.: *Et te adiuro quisquis inferne es demon per hec sancta nomina necessitatis.*

Iam afferam duos locos, ubi auctores etiam extra ipsam precationem hanc formulam retinuerunt:

Ovid. fast. VI 731:

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur
Tum cum Romanis, Pyrrhe timendus eras.

Plin. nat. hist. II 7, 14: *Quapropter effigiem dei formamque quaerere imbecillitatis humanae reor. Quisquis est deus, si modo est alius et quacumque in parte, totus est sensus.*

Sed transeamus ad vocabulum *quicumque.*

Vergil. Aen. I 330:

Sis felix nostrumque leves quaecumque laborem.

Cf. Servius ad eundem Vergilii locum: *quaecumque*] *seu Diana seu nympha.*

Lucan. Pharsal. IX 990:

Di cinerum, Phrygias colitis quicumque ruinas.

Valer. Flacc. Argon. IV 674:

Sequor o quicumque deorum.

Stat. Theb. X 680:

Sequimur, divum quaecumque vocasti.

Firmic. Matern. Astrol. V praef.: Tu quicumque deus qui *eqs.*

Anthol. Latin. II 1315, 1:

Terra precor, quaecumque iaces Nicario super ossa.

n. 68: *et tu quicumque es demon, te oro*; n. 75: *Adiuro te demon quicumque es et demando*; n. 80: *Adiuro te demon quicumque et demando.*

Huc proferre audeam Apulei locum (de deo Socratis c. 15, 153), qui pertinere videtur ad exactam illam deorum nominis notitiam in precationibus necessariam: *Cum vero incertum est, quae cuique eorum sortito evenerit, utrum Lar sit an Larva, nomine Manem deum nuncupant; scilicet honoris gratia dei vocabulum additum est.*

His rebus omnibus satis demonstrasse mihi videor, quantae curae fuerit Romanis recta dei appellatio, qua omni modo id egerint, ut recte is deus, quem advocabant, indicaretur, ne

prece ad irritum cadente[1] se subtraheret audiendo. Huc id quoque pertinet, quod in deis ignotioribus sexum quoque formula simili circumscribebant, ne falso sexu indicato deus aut dea munus audiendi recusare posset. Si igitur invocationi additur *sive mas sive femina* aut *si deus si dea* numen certe comprehenditur neque habet effugium. Exempla huius cautelae inveni sequentia.

Laevius (Melissus?) fr. 26 FPR p. 292:

Venerem igitur almum adorans
si femina si mas est
ita uti alma Noctilucast.

Plut. aetia Roman. 61 (278 F): *Διὰ τί τὸν θεὸν ἐκεῖνον, ᾧ μάλιστα τὴν Ῥώμην σῴζειν προσήκει καὶ φυλάττειν, εἴτ' ἐστὶν ἄρρην εἴτε θήλεια καὶ λέγειν ἀπείρηται καὶ ζητεῖν καὶ ὀνομάζειν.*

Formulam *si deus si dea* explicat Arnobius adv. nat. III 8: *Ac ne tamen et nobis inconsideratus aliquis calumniam moveat, tamquam deum, quem colimus, marem esse credamus ea scilicet causa, quod eum cum loquimur, pronuntiamus genere masculino, intellegat non sexum et familiaritate sermonis appellationem eius et significationem promi. non enim deus mas est, sed nomen eius generis masculini, quod idem vos dicere religione in vestra non quitis, nam consuestis precibus „sive tu deus sive dea" dicere, quae dubitationis exceptio dare vos diis sexum disiunctione ex ipsa declarat*[2]. Iterumque hoc loco commonefaciam ea quae apud Gellium scripta sunt Noct. Att. II 28, 2 (supra p. 76). Atque rem ipsam exemplis confirmemus. n. 51 (piaculum in luco conlucando factum): *si deus si dea es, quoium illud sacrum est*; Liv. VII 26, 4: *Precatus deinde: si divus si diva esset, qui sibi praepetem misisset, volens propitius adesset*; n. 22 (pervetustum evocationis carmen): *si deus si dea est cui populus civitasque Carthaginiensis est in tutela.* Cf. CIL I 1114 (in arae dedicatione): *sei deus sei dea*, qua ex inscriptione, cum Gellii (Noct. Att. II 28, 2) verba respiciam, nescio an colligi possit aram illam verbis illis praeditam propter terrae motum esse positam.

[1] Cic. de har. resp. 33; Liv. XXXI 16; Arnob. adv. nat. IV 31; Plut. Coriol. 25, 2.

[2] Hoc loco commemorem Palem deum incerti sexus, cf. G. Wissowa in Roscheri Lexico vol. III 1 p. 1276 s. v. Pales.

Cohaeret cum hac opinione dei nomen semel cognitum[1] hominibus dei potestatem infringere diligentia illa anxia, qua Romani occultaverint nomina quorundam deorum. Cuius rei testis est Verrius Flaccus apud Plin. nat. hist. XXVIII 18: *Verrius Flaccus auctores ponit, quibus credat in oppugnationibus ante omnia solitum a Romanis sacerdotibus evocare deum, cuius in tutela id oppidum esset, promittique illi eundem aut ampliorem apud Romanos cultum. Et durat in pontificum disciplina id sacrum constatque ideo occultatum in cuius tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.* Servius ad Aeneid. II 251: *Excessere] quia ante expugnationem evocabantur ab hostibus numina propter vitanda sacrilegia. Inde est quod Romani celatum esse voluerunt, in cuius tutela urbs Roma sit, et iure pontificum cautum est, ne suis nominibus dii Romani appellarentur, ne exaugurari possent.* Servius ad Georgic. I 498: *Vestaque mater quae Tuscum Tiberim et Romana palatia servas] poetice: nam verum nomen eius numinis, quod urbi Romae praeest, sciri sacrorum lege prohibetur: quod ausus quidam tribunus plebis*[2] *in crucem elatus est.* Macrob. Sat. III 9, 2: *Constat enim omnes urbes in alicuius dei esse tutela, moremque Romanorum arcanum et multis ignotum fuisse, ut, cum obsiderent urbem hostium eamque iam capi posse confiderent, certo carmine evocarent tutelares deos, quod aut aliter urbem capi posse non crederent aut etiam si posset, nefas timerent deos habere captivos; nam propterea ipsi Romani et deum in cuius tutela urbs Roma est et ipsius urbis Latinum nomen ignotum esse voluerunt.* Plutarchi Aetia Romana 61 (278 F): *Διὰ τί τὸν θεὸν ἐκεῖνον, ᾧ μάλιστα τὴν Ῥώμην σώζειν προσήκει καὶ φυλάττειν εἴτ' ἔστιν ἄρρην εἴτε θήλεια καὶ λέγειν ἀπείρηται καὶ ζητεῖν καὶ ὀνομάζειν· ταύτην δὲ τὴν ἀπόρρησιν ἐξάπτουσι δεισιδαιμονίας ἱστοροῦντες Οὐαλέριον Σωρανὸν ἀπολέσθαι κακῶς διὰ τὸ ἐξειπεῖν; πότερον ὡς τῶν Ῥωμαϊκῶν τινες ἱστορήκασιν ἐκκλήσεις εἰσὶ καὶ γοητεῖαι θεῶν,*

[1] Atque afferam hoc loco canticum quoddam magicum (n. 96): *Exi si hodie nata si ante nata, si hodie creata si ante creata,* quibus verbis magicis morbus quidam, cuius nomen ignotum est, definitione quadam tam arte circumscribitur, ut ab eo, qui artem magicam exercet, cogi possit, ut deserat corpus aegrotum: similis est Carthaginiensium dei tutelaris evocatio, v. p. 82.

[2] Fuit Valerianus Soranus, C. Cichorius, Herm. XLI 1906 p. 59 sqq.

αἷς νομίζοντες καὶ αὐτοὶ θεούς τινας ἐκκεκλῆσθαι παρὰ τῶν πολεμίων καὶ μετῳκηκέναι πρὸς αὐτοὺς ἐφοβοῦντο ταὐτὸ παθεῖν ὑφ' ἑτέρων . . . . ᾤοντο Ῥωμαῖοι τὸ ἄρρητον καὶ τὸ ἄγνωστον ἀσφαλεστάτην εἶναι θεοῦ καὶ βεβαιοτάτην φρουράν . . . . . ἀπεκρύψαντο τὸ κύριον τῆς σωτηρίας οἱ παλαιοὶ Ῥωμαῖοι βουλόμενοι μὴ μόνον τοῦτον ἀλλὰ πάντας ὑπὸ τῶν πολιτῶν τοὺς θεοὺς τιμᾶσθαι[1].

Vidimus igitur arcanissimas fuisse appellationes eorum deorum, quorum in tutela esset res publica Romana, ne quid hostes, cum uterentur illis nominibus, Romanis nocere possent. Itaque facilius intellegi potest, qua de causa in illa pervetusta evocationis precatione a Macrobio (III 9, 7 = n. 22) tradita dei nomen definitur formula *si deus si dea est cui populus civitasque Carthaginiensis est in tutela.* Romanos enim, urbis Carthaginis hostes, nomen dei, qui tutelam huius urbis recepit, accuratissime occultatum non novisse consentaneum est. Quam ob rem nomen illud ignotum verbis supra allatis circumire conantur.

Similibusque de causis certa quoque hominum genera, ut peregrini et servi, a rebus divinis Romanorum excludebantur. Atque Herm. Diels *Sibyllin. Blätter* (p. 96 seqq.) nobis demonstrat Romanos ut hoc instituerent adductos esse opinione peregrinos et servos hostes esse populi Romani eosque novisse Romanorum deorum nomen sexumve esse nefas, cum illis compertis validioribus artificiis vincere possent illam, qua dei cogerentur, precationis vim. Ex magna exemplorum copia unum alterumve afferam. Paulus Festi p. 83 M (s. v. *exesto extra esto*): *Sic enim lictor in quibusdam sacris clamitabat: hostis vinctus*[2] *mulier virgo exesto: scilicet interesse prohibebatur.* Sueton. Claud. c. 22: *Utque dira ave in Capitolio visa obtestatio haberetur eamque ipse iure maximi pontificis pro rostris populo praeiret, summotaque operariorum servorumque turba.* Serv. ad Aen. VIII 179: *In sacris enim Herculis nec servi intererant nec liberti.* Zosimus Hist. nova II 5, 1 (de lustratione quadam): *δοῦλοι δὲ τούτων οὐ μετ-*

[1] Similia leguntur apud Liv. VI 1, 10; Lydus de mensib. p. 125, 3 sqq. Wünsch.

[2] Ac vinctum removeri oportebat ne eo, quod erat alligatus, contraria oriretur vis magica, qua ipsum precationis carmen ad deum vincendum susceptum fieret invalidum.

ἔχουσιν, ἀλλὰ ἐλεύθεροι, μόνοι. Fortasse huc inserenda sunt haec poetarum exempla[1].

Vergil. Aen. VI 258:

adventante dea „procul o procul este profani"
conclamat vates, „totoque abstite luco".

Ovid. met. VII 255:

Hinc procul Aesonidem, procul hinc iubet ire ministros
Et monet arcanis oculos removere profanos.

Calpurn. Bucol. II 54 sq.:

sub arbore numen
Hac erit; ite procul (sacer est locus) ite profani.

Praeterea autem ut rite conficeretur, quod precibus optatur, necessarium erat curare, nequis praeteriretur neve neglegeretur deorum, quibus esset adorationis sive invocationis ius divinum. Quam ob causam veteribus Romanis fuit praeceptum, ut adorantes in uno quoque sacro post singulas propriorum deorum invocationes etiam reliquos comprecarentur[2]. Serv. ad Georg. I 21: *Dique deaeque omnes*] *post specialem invocationem transit ad generalitatem, ne quod numen praetereat, more pontificum, per quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales deos, quos ad ipsum sacrum, quod fiebat, necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur.* Serv. ad Aen. VIII 103: *Amphithryoniadae magno divisque ferebat*] *satis perite ait: „divisque ferebat"; nam cuivis deo sacrificaretur, necesse erat post ipsum etiam reliquos invocari.* Servius ad Georg. I 10: *Et vos agrestum praesentia numina Fauni*] *bene de diversis dicturus diversa invocat numina. hoc enim in sacris fieri solebat, ut post specialia ad eam rem, de qua agebatur, invocata numina omnes dii vel deae confusae invocarentur.*

Quae cum ita sint, morem vere Romanum statuemus in his exemplis. N. 16: *Audi Iuppiter et tu Iane Quirine dique omnes caelestes vosque terrestres vosque inferni audite.* Liv. XXXVIII 51, 9: *Ego hinc extemplo in Capitolium ad Iovem*

---

[1] Fortasse dico: nam haec ex Graeco quoque tracta esse possunt. Cf. Graecam vocem *ϑύρας δ' ἐπίϑεσϑε βέβηλοι,* Abel Orph. fr. 4; *ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός*, Call. hymn. Apoll. 2.

[2] R. Wünsch apud E. Norden ad Verg. Aen. VI 64 p. 461; R. Wünsch *Ein Dankopfer an Asklepios, Arch. f. Rel. Wiss.* VII p. 100, ubi et Graeca exempla habes.

optimum maximum Iunonemque et Minervam ceterosque deos, qui Capitolio et arci praesident, salutandos ibo. Cf. Liv. VI 16, 2; VI 29, 9; IX 31, 10; XXI 45, 8; no. 90; CIL II 172. Similia apud poetas inveniuntur, ubi iterum dubii haeremus utrum patrium an Graecum[1] sequantur exemplum. V. c. Plautus Bacch. 892 dicit:

Ita me Iuppiter, Iuno, Ceres,
Minerva, Latona, Spes, Opis, Virtus, Venus,
Castor, Polluces, Mars, Mercurius, Hercules,
Summanus, Sol, Saturnus dique omnes ament.

Cf. Plaut. Pers. 755; Most. 38; Pseud. 836; Merc. 931; Vergil. Georg. I 21; Aen. VI 64; Tibull. (Lygd.) III 5, 21; Ovid. fast. IV 829; Ibis 67; Senec. Med. 7; Anthol. Latin. I 17, 6.

Rhetorum denique Cicero Romane se gerere videtur. Pro C. Rabirio perduell. reo § 5: *Ab Iove optimo maximo ceterisque dis deabusque ... pacem veniamque peto.* Cf. n. 88; similiter n. 27; in dubio an Romanum relinquamus Mart. Capell. V 436.

Saepius autem accidit, ut omissa singulorum deorum invocatione generaliter tantum precentur Romani et historici et poetae. Quod fit, ut auditores ingenti invocatorum multitudine exstupescant. Cuius rei haec afferam exempla: Liv. XXVII 45, 8: *deos omnes deasque precabantur*; no. 19: *divi divaeque, qui maria terrasque colitis.*

Ovid. met. VI 261:

Bracchia sustulerat, „dique o communiter omnes“.

Senec. Phaedr. 604:

Vos testor omnes caelites.

Senec. ad Polyb. de consol. XII 5: *di illum deaeque terris diu commodent*[2].

Sed saepius non dii in universum excitantur, immo certus quidam et solus deus, id quod e propria quadam dei, qui adoratur, potestate sive vi pendere consentaneum est. Nam etiam Romanorum in cultu nobis occurrunt singulares dei, quos, cum

---

[1] Homer. Ilias VI 476:

Ζεῦ ἄλλοι τε θεοί, δότε δὴ καὶ τόνδε γενέσθαι
παῖδ' ἐμόν, ὡς καὶ ἐγώ περ, ἀριπρεπέα Τρώεσσιν.

[2] Ut haec formula satis simplex erat, et in precationibus usu detritis remansit, vide infra in huius capitis fine.

certis officiis fungantur, praeter ceteros deos certis occasionibus datis posse optata praebere adorantes arbitrantur. Quapropter unusquisque deus ubique ea rogabatur quae prae ceteris numinibus optime praestare posse putabatur. Notissimi sunt eius generis numina indigitamentorum [1]. Licet de his precationibus varia censeant viri docti, tamen inter omnes constat indigitamenta fuisse litanias litteris mandatas et a pontificibus servatas. Quibus in libris singulares dei certis quibusdam, quae partim ad humanam vitam, partim ad rem rusticam pertinebant muneribus praediti inveniebantur. Quorum deorum potestas, quae non nisi certis definitisque occasionibus aliquid valebat, artissime erat definita. De his v. c. Augustinus, qui etiam maiorum deorum officia singularia immiscet, dicit (de civ. dei IV 21): *Quid opus erat parturientibus invocare Lucinam, cum si adesset Felicitas non solum bene parerent, sed etiam bonos? Quid necesse erat Opi deae commendare nascentes, deo Vaticano vagientes, deae Cuninae iacentes, deae Ruminae sugentes, deo Statilino stantes, deae Adeonae adeuntes, Abeonae abeuntes, deae Menti, ut bonam haberent mentem, deo Volumno et deae Volumnae, ut bona vellent, diis nuptialibus, ut bene coniugarentur, diis agrestibus, ut fructus uberrimos caperent et maxime ipsi divae Fructeseae; Marti et Bellonae, ut bene belligerarent, deae Victoriae, ut vincerent; deo Honori, ut honorarentur, deae Pecuniae, ut pecuniosi essent, deo Aescolano et filio eius Argentino* [2], *ut haberent aeream argenteamque pecuniam?* Itemque in numero eorum, qui indigitamentis erant collecti, deorum sunt ponenda duodecim illa numina, quae Flaminem Cerealem in ineunda agrorum consitione pro frugum proventu invocasse Servius (ad Georgic. I 21) nobis tradit [3]. Atque videbimus singulos deos adorari pro singulis operibus, quae inde a prima aratione usque ad frumenti invectionem atque consumptionem erant suscipienda. Sed iam ipsum Servii locum inspiciamus. *Fabius Pictor hos deos enumerat, quos invocat flamen sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri: Vervactorem,*

[1] R. Peter in Roscheri Lexico II p. 130 sqq.

[2] Aesculanus et Argentinus dei nummis cupreis argenteisque demum introductis excogitati sunt; cf. Aust, Pauly-Wissowa II 713.

[3] H. Usener *Götternamen* p. 76.

Reparatorem, Imporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, Messorem, Convectorem, Conditorem, Promitorem.

Permulta huius generis numina praeterea proferre possum, sed, cum mihi proposuerim eos solum commemorare deos, quibus precationes esse factas scriptores veteres memoriae produnt, cetera indigitamentorum numina[1] praetermittam. Et reliquos tantum commemorem deos, quos, cum speciali quadam essent potestate instructi, certis occasionibus datis esse invocatos veteres ipsi tradunt.

Aegrotantes advocant Apollinem, quippe qui sit medicinae deus: Tibull. IV 4, 1.

Agricolae precantur deos rusticos, ut agris dent fertilitatem vel gregibus praestent ubertatem. Cererem: Verg. Georgic. I 338 sq.; Tibull. II 1, 3; Horat. sermon. II 2, 124; Ovid. fast. I 670 (agrorum fertilitas); Liberum: Tibull. II 1, 3 (agrorum fertilitas); Herculem rusticum: Horat. sermon. II 6, 14 (ut pecus faciat pingue); Palem: Calpurn. Bucol. V 24 (gregum ubertas); Tellurem: Ovid. fast. I 669 (agrorum fertilitas).

Mercatores omnesque, qui quaestum colunt, Mercurium, negotiationis deum, invocant, ut det divitias: Plaut. Stich. 402; Ovid. fast. V 681; Persius satur. II 44; Anthol. Latin. II 1528 (Lucri repertor et sermonis dator).

Fures adorant Lavernam: Horat. epist. I 16, 60.

Mulieres parturientes precibus adeunt deas, quas parturientibus auxiliari putant. Iunonem Lucinam: Plaut. Aulul. 692; Truc. 476; Terent. Adelph. 486; Andria 473; Catull. 34, 13; Cic. de nat. deor. II 27, 68; Apul. metam. VI 4; Macrob. Sat. III 16, 27; Serv. ad Aen. I 8; Arnob. adv. nat. III 10; Tertull. de anim. c. 39. Dianam Horat. carm. III 22, 2; epod. V 5; carm. saec. 13; Tertull. de anim. c. 39.

Bellantes solent venerari Martem: Liv. XLV 32, 2; Ovid. Fast. V 575. Etiam, quod attinet ad bellum, agricolae Martem adorant, ut segetes a bello defendat, n. 40 et 49.

---

[1] Collectos invenies in indice quem composuit R. Peter in Roscheri lexico.

Nautae sive ii, qui navigationem suscipiunt, deos marinos rogant: n. 19; Plaut. Stich. 403; Vergil. Aen. III 528; V 235; Ovid. Trist. I 2, 1; I 2, 59.

A devoventibus exsecrantibus defigentibus artemque magicam exercentibus preces mittuntur ad deos inferos. Devotio, quippe quae pertineat ad mortem inferosque: n. 20; Liv. VIII 6, 4; exsecratio: Senec. Med. 740; in quadam hostium eorumque finium consecratione advocantur Dispater Veiovis Manes, inferi illi dei, n. 21; imprecatio Gallieno defuncto imperatori facta: Aurel. Victor de Caes. 34, 31; ars magica exercetur: Ovid. met. VII 192; Lucan. Pharsal. VI 695; Apul. apol. 31. Etiam in defixionibus praeter ceteros daemones nonnumquam adhibentur di inferi: n. 56 (di inferi), n. 55 (Dispater), n. 59 (qui infernales partes tenes), n. 53 (Dea Ataecina Turibrigensis Proserpina).

Ab iurantibus inprimis advocantur di omnia numine complectentes: Tellus et Iuppiter, n. 21; Sol et Terra, Anthol. Latin. I 17, 1.

Singularibus occasionibus datis invocantur hi fere dei:

Anna Peranna oratur, ut longam det vitam: Ovid. fast. III 523;

Fascinus rogatur, ut fascinationem defendat: Plin. nat. hist. XXVIII 39;

Venus a matribus imploratur, ut formam det liberis: Iuven. Sat. X 290;

Genius advocatur die natali: v. Schmidtii librum supra p. 60 laudatum. Nuptiis cum lectus genialis paratur, Arnob. adv. nat. II 67;

Iuppiter proprie in diuturna siccitate invocatur: Petron. Sat. 44;

Robigo precibus placatur, ne segetes robigine pervastet: Ovid. fast. IV 911;

Febris colitur, ne homines febrium valetudinibus vexet: Val. Max. II 5, 6.

Ac quoniam hoc loco agitur de certorum deorum adoratione, non indignum mihi videtur memorare Romanos in publicis

deorum invocationibus, cuicumque deo sacra faciebant, Ianum deum ineunte, Vestam deam exeunte precationis carmine solitos fuisse adorare, ita ut alii dei quasi ab utroque deo circumcluderentur. Ac si quaesiverimus, qua de causa deorum invocatorum in serie Ianus primum locum obtineat, nobis in mentem venit eum non solum esse deum portarum ac ianuarum, sed etiam cuiusque initii ideoque eum initio precationum esse advocandum [1]. Augustin. de civ. dei VII 9: *Cur ei* (sc. *Iovi*) *praeponitur Ianus? hoc nobis vir ille acutissimus doctissimusque respondeat: Quoniam penes Ianum, inquit, prima, penes Iovem summa.* Sed iam ad ipsa testimonia transgrediamur.

Cicero de natura deor. II 67, 27: *Cumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima et extrema, principem in sacrificando Ianum esse voluerunt.*

Macrob. Saturnal. I 9, 9: *Ianum invocari primum, cum alicui deo res divina celebratur, ut per eum pateat ad illum, cui immolatur, accessus, quasi preces supplicum per portas suas ad deos transmittat.*

Cf. praeterea Ovid. fast. I 172; Martial. epigr. VIII 8, 3; X 28, 1 sq.; Arnob. adv. nat. III 29; Aurel. Victor orig. gent. Rom. III 7; Servius ad Aen. VII 610; Macrob. sat. I 9, 3; I 16, 25; Paulus Festi s. v. Chaos p. 52 M; Paulin. Nolan. Poem. ultim. vs. 67.

Quae veterum testimonia confirmantur devotionis precatione a Livio tradita (VIII 9, 6) n. 20: *Iane, Iuppiter, Mars pater, Quirine.* Praeterea eo carmine, quod in agrorum lustratione nuncupatur, a Catone nobis servato (de agricult. 141) n. 49: *Ianum Iovemque vino praefamino, sic dicito.* Denique piaculis fratrum Arvalium (Henzen Acta 144 sq.) ubi Iano primo, Vestae extremae sacrificia fiunt.

Vestae extremae [2] in precationibus invocatae hi exstant

[1] G. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 98.

[2] At in Ovidii fastis (VI 298) nobis traditur Vestam initio precationum invocari solere:

inde precando
Praefamur Vestam, quae loca prima tenet.

Sed hunc quidem Graecum esse morem facile intellegemus, si Aristophanis Avium vs. 864 sqq. inspexerimus:

δράσω τάδ', ἀλλὰ ποῦ 'στιν ὁ τὸ κανοῦν ἔχων;

testes. Cicero loco supra laudato (de nat. deor. II 67, 27), ubi legitur in omnibus rebus maximam vim habere prima et extrema: *Vis autem eius* (sc. *Vestae*) *ad aras et focos pertinet: itaque in ea dea, quod est rerum custos intumarum, omnis et precatio et sacrificatio est.* Servius ad Aen. I 292: *Vesta vero pro religione, quia nullum sacrificium sine igne est, unde et ipsa et Ianus in omnibus sacrificiis invocantur.* Sed ipsorum veterum testimonia non nisi duobus exemplis videntur confirmari: primum invenitur apud Velleium Paterculum (II 131, 1, n. 27) in precatione illa pro salute rei publicae facta, ubi Vesta in numero deorum, quorum nomina sunt nota, invocatur extrema: *Iuppiter Capitoline, et auctor ac stator Romani nominis Gradive Mars, perpetuorum custos Vesta ignium et quidquid numinum hanc Romani imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit.* Alterum legitur in Iuvenalis Sat. VI 386: *Et farre et vino Iovem Vestamque rogabat.* Praeterea ex ipsis fratrum Arvalium piaculis (Henzen p. 147) colligi potest, etiam in his rebus divinis Vestam extremo loco esse advocatam.

Inquirentibus nobis, qua de causa ipsa Vesta extrema in precationibus invocetur, haec fere in mentem veniunt: Ianus Vestae in cultu haud temere, ut sunt diversae utriusque dei provinciae, limen et focus, opponebatur; sic domus pars extrema intimae parti obiciebatur. Quibus ex rebus contrariis secutum esse videtur, ut postea demum primae Iani dei invocationi extrema Vestae deae adoratio opponeretur [1].

Restat, ut hoc loco omnium, qui in precationibus litterarum Latinarum reperiuntur, Romanorum deorum dearumque proponam indicem, quo demonstretur, qui dei omnino Romanorum in precationibus et soluta et poetica oratione traditis nobis occurrant. Atque indicem illum ita instituam, ut etiam numeris adscriptis summatim exponam, quotiens hi dei deaeque soli, quotiensque cum aliis deis coniuncti invocentur. Nempe considerandum est non omnia veterum testimonia ad nos per-

εὔχεσθε τῇ Ἑστίᾳ τῇ ὀρνιθείῳ καὶ τῷ ἰκτίνῳ τῷ Ἑστιούχῳ, καὶ ὄρνισιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίῃσιν πᾶσι καὶ πάσῃσιν. Cf. Preller-Robert, Griech. Mythol. I p. 428.

[1] Cf. G Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 91 et 141.

venisse indicemque plane exactum eam ob causam institui non posse. Simulque ex numeris his additis intellegitur, quantum fere singuli dei gratia apud precantes valuerint. Numeros hos sumpsi e collectione mea, quibus non omnia ascripsi testimonia sed gravissima tantum, ne nimium spatium consumerem. Etiam precationes usu detritae (v. in fine capitis) in censum venerunt, cum illos deos, quippe qui in precationibus vulgatis inveniantur, fuisse caros acceptosque Romanis appareat. Deorum in hoc indice non nisi eos afferam, quos in cultu vere Romano floruisse constat veneratione. Et duas instituam partes, priorem, qua proponam deos Romanos sive Italicos, alteram, qua commemorem deos quosdam quamvis peregrinos attamen Romanorum in cultum receptos. At numina vere peregrina in cultu Romanorum numquam florentia, quae a poetis Latinis, cum exteras sequerentur litteras, carminibus sunt commemorata, ex hoc indice secludentur. Praeterea ipsos indigitamentorum deos, de quibus iam supra (p. 85 sq.) actum est, nunc omittam.

I. Di Romani sive Italici

Nomina	singuli	coniuncti
Anna Peranna	cf. Ovid. fast. III 523.	
Divus Augustus		semel: CIL II 172.
Bellona	semel: n. 4.	semel: n. 20.
Divus Caesar		ter: Valer. Flacc. Arg. I 5; Martial. epigr. V 63, 5; Anthol. Latin. I 424.
Ceres	ter: Horat. sermon. II 2, 124; Ovid. amor. III 10, 2; Apul. metam. VI 2.	octies. n. 88 et 90; Ovid. fast. I 669.
Concordia	semel: Lucan. Phars. VI 189.	
Consus		semel: FPR p. 390 fr. 23.
Diana	vicies. Catull. XXXIV 21; Verg. Aen. XI 557; Sil. Ital. Pun. XIII 135.	duodecies. n. 88; Horat. carm. I 12, 13; carm. I 21, 1.
Diespiter	bis: n. 17; Paulus Festi p. 115 M.	semel: Plaut. Captiv. 909.
Dis pater	semel: n. 55.	bis: n. 21 et 57.
Faunus	semel: Horat. carm. III 18, 1.	bis: Vergil. Aen. XII 776; Calpurn. Bucol. V 26.

Nomina	singuli	coniuncti
Febris	cf. Valer. Max. II 5, 6.	
Fides	bis: Plaut. Aulul. 584; Aulul. 611.	semel: Silius Ital. Pun. VI 466.
Fortuna	sexies. Horat. carm. I 35, 1; Lucan. Phars. VIII 729; IX 212.	quinquies. Senec. ad Polyb. de consol. 13; Lucan. Pharsal. I 665; Apul. met. VI, 8.
Fortuna redux		semel: n. 39.
Genius	quater: Tibull. II 2, 5; IV 5, 9; Ovid. Trist. V 5, 13.	
Hora Quirini	semel: Ennius Annal. I fr. 63 Vahlen[2].	
Ianus	octies. n. 47; Horat. epist. I 16, 60; Auson. III 5 (Peiper).	quater. n. 16 et 20; Plaut. Cist. 512.
Iuno	quater et vicies. n. 8 et 26; Ovid. fast. III 255.	bis et vicies. n. 88; Liv. VI 16, 2; XXXVIII 51.
Iuppiter	centies ter. n. 7, 17, 46.	sexagies. n. 15, 16; Liv. VI 16, 2.
Iustitia	semel: Senec. Med. 442.	
Lar	semel: Plaut. Mil. Glor. 1339 (cf. Cato agric. 2, 142).	semel: Plaut. Merc. 834.
Lares	semel: Tibull. I 10, 45 (cf. Val. Max. III 4, 5).	quinquies. n. 20, 40; Calpurn. Bucol. V 26.
Lares viales	semel: Plaut. Merc. 865.	
Laverna	semel: Horat. epist. I 16, 60.	
Liber pater	duodevicies. Tibull. III 6, 1; Propert. III 17, 1; Horat. carm. II 19, 7.	quinquies. Vergil. Georg. I 5 sq.; Tibull. II 1, 3; Horat. carm. I 12, 13.
Libera		semel: n. 88.
Mars	duodecies. n. 18, 49; Lucan. Pharsal. II 59.	quater decies. n. 20, 27, 40.
Mater Matuta	cf. Ovid. fast. VI 559.	
Minerva	septies. Verg. Aen. XI 483; Ovid. fast. VI 652; Martian. Capell. VI 575.	duodevicies. n. 38, 89; Liv. VI 16, 2.
Neptunus	novies. Sil. Ital. Pun. XV 159; Plaut. Most. 431; Rud. 358.	duodecies. n. 39, 95; Plaut. Stich. 403.
Nerio Martis	semel: n. 93.	
Ops		bis: Plaut. Cist. 512; Bacch. 892.
Pales	bis: Ovid. fast. IV 747; Calpurn. Bucol. V 24.	bis: Culex 11; Nemes. Bucol. II 55.

Nomina	singuli	coniuncti
Pax	semel: Ovid. fast. I 711.	
Pietas	semel: Ovid. met. X 321.	
Pudicitia	semel: Valer. Max. VI 1 praef.	
Quirinus		ter: n. 20; Ennius Annal. fr. 63 (Vahlen[2]); Anthol. Latin. I 424 (= Romulus).
Robigo	semel: Ovid. fast. IV 911.	
Roma	ter: Propert. III 10; Lucan. Pharsal. I 200; VIII 322.	semel: Lucan. Pharsal. I 195.
Romulus	bis: n. 28; Ennius Annal. fr. 61 (Vahlen[2]).	ter: n. 31; Vergil. Georg. I 498; Ovid. met. XV 861.
Salus publica		bis: n. 38, 39.
Saturnus	bis: Martial. epigr. XII 62, 1; Anthol. Latin. I 199, 9.	bis: Plaut. Bacch. 892; Cist. 512.
Silvanus	semel: Anthol. Lat. II 19.	ter: Vergil. Georg. I 5 sq. Nemes. Bucol. II 58; Anthol. Latin. II 250.
Spes		semel: Plaut. Bacch. 892.
Summanus		semel: Plaut. Bacch. 892.
Terminus	semel: Ovid. fast. II 659.	
Terra (Tellus)	duodecies. n. 10, 100; Anthol. Latin. II 1048, 1.	quinquiesdecies. n. 21; Ovid. fast. I 669; Anthol. Latin. II 1029, 5.
Tiberis	quater. n. 92; Ennius annal. I fr. 31 (Vahlen[2]); Vergil. Aen. X 421.	semel: Vergil. Aen. VIII 71.
Veiovis		semel: n. 21.
Venus	sexies et tricies. Plaut. Mil. Glor. 1227; Rud. 1337; Horat. Carm. I 30, 1.	octies. Plaut. Bacch. 892; Tibull. (Lygd.) III 3, 33; Horat. carm. I 3, 1.
Vesta	ter: n. 94; Ovid. fast. III 426; VI 429.	sexies. n. 27, 39, 89.
Victoria		quater. n. 39; Ovid. amor. III 2, 46; Auson. XIX 2, 1 (Peiper).
Virtus	semel: Lucan. Pharsal. II 242.	semel: Plaut. Bacch. 892.
Vulcanus	bis: Gratius Cyneg. 436; Martial. epigr. V 7, 5.	

II. Di peregrini Romanorum in cultum recepti

A. Di Graeci

Nomina	singuli	coniuncti
Aesculapius	bis: Ovid. met. XV 678; Martial. epigr. IX 17.	semel: Terent. Hec. 328.
Apollo	quinquagies. n. 3; Plaut. Merc. 678; Vergil. Aen. III 85.	quinquies et vicies. n. 88, 95; Vergil. Aen. X 875.
Castor		ter: n. 88; Plaut. Bacch. 872; Anthol. Latin. II 251, 1.
Dioscuri	semel: Ovid. Trist. I 10, 45.	ter: Horat. carm. I 3, 1; I 12, 13; Stat. Silv. III 2, 5.
Hercules	vicies. Plaut. Curc. 358; Propert. IV 9, 71; Vergil. Aen. VIII 293.	quinquies. n. 39, 88; Plaut. Bacch. 892.
Latona		bis: n. 88; Plaut. Bacch. 892.
Luna	quater. Vergil. Aen. IX 404; PLM III p. 163; Anthol. Latin. I 723, 3.	ter: Vergil. Georg. I 5 sq.; Ovid. met. VII 192; Ibis 67.
Mercurius	duodecies. Horat. serm. II 6, 4; Ovid. fast. V 681; Pers. sat. II 44.	quater. n. 88; Plaut. Bacch. 892, Stich. 402.
Pollux		ter: n. 88; Plaut. Bacch. 892; Anthol. Latin. II 251, 1.
Proserpina	bis: Tibull. (Lygd.) III 5, 6; Anthol. Latin. II 492, 1.	ter: n. 90; Senec. Herc. fur. 596; Lucan. Phars. VI 695.
Sol	quater. M. Pacuv. Med. fr. 2 (Ribbeck I p. 109); Apul. flor. 10; Martian. Capell. II 184.	sexies. Plaut. Bacch. 892; Vergil. Aen. IV 607; XII 176.
Tempestates		semel: Plaut. Stich. 402.

B. Di Asiatici

Nomina	singuli	coniuncti
Magna mater Idaea	semel: Sil. Ital. Pun. XVII 38.	ter: n. 88; Vergil. Aen. VI 133; X 252.
Priapus	septies. Vergil. eclog. VII 33; Anthol. Lat. II 861; II 1504.	

Ab ipsis deorum nominibus transeo ad epitheta, quibus Romani utebantur in precationibus faciendis[1]. Variis enim de causis adducti putabant deum sollemni precatione advocandum non contentum esse ipsa nominis nuncupatione eumque libentius, si epithetis idoneis appellaretur, precibus obtemperaturum esse. Tria discernam illorum epithetorum genera: primum precantes singulis temporis momentis qualibet causa commoti ipsi inveniunt, alterum constat ex firmis, quae semper in cultu adhibentur, certorum deorum cognominibus, tertium continetur epithetis eis, de quibus pro certo non dici potest, utrum sint epitheta temporis quodam puncto creata, an deorum cognomina, ut ita dicam sibi constantia, quae semper in cultu usurpantur. Quod tertium genus secundo loco tractabimus.

Primi generis epitheta aut componuntur e sententiis relativis et compluribus verbis, aut singulis continentur vocibus.

Atque ut ad genus prius progrediar, longe notissima sunt epitheta, quae pertineant ad deorum invocatorum domicilia. Sed de his paulo infra agetur, ubi harum invocationum causas melius cognoscemus. Hoc loco tractamus primum ea epitheta quae sunt ad deorum proprietatem naturamque referenda. Quibus cum dei in precationibus admoneantur de ipsorum munere officioque atque auxiliandi facultate, adorantes numina facilius commoveri putant, ut auxilium ferant vel optata praestent. Atque ex infinita copia nonnulla colligamus exempla.

n. 27: *Et auctor ac stator Romani nominis Gradive Mars*; ibid.: *Perpetuorum custos Vesta ignium*; n. 91: *Te Iuppiter optime maxime antea conditorem nunc conservatorem imperii nostri*; n. 32: *Tuque virtutum praesul Minerva.*

Horat. carm. I 12, 49 de Iove:

Gentis humanae pater atque custos[2].

n. 61: *Νοχϑιϱιφ qui cogens daemon*; ibid.: *Βιβιϱιξι qui es fortissimus demon*; ibid.: *Καταξιν* [*q*]*ui es Aegupto magnus de-*

[1] Non omnia deorum epitheta pertractabimus sed non nisi ea, quae in ipsis precationibus traditis inveniantur. De reliquis v. J. B. Carter, Epitheta deorum, Roscheri Lex. supplementum.

[2] Pauca sunt epitheta, quibus simul deorum et sedes et potestas praedicantur. n. 89: *Et te custos urbis Minerva.* Vergil. Aen. XI 786: *summe deum, sancti custos Soractis Apollo.* Cf. Anth. Lat. I 15, 9.

mon; ibid.: *Ρικουριϑ agilissime demon in Aegypto*; n. 66: *Βαχα*[*χυχ* . . .] *qui es in Egipto magnu*[*s*] *demon.*

Ennius Annal. I fr. 141 (Vahlen [2]):

Vosque Lares, tectum nostrum qui funditus curant.

Plaut. Poenul. 1187:

Iuppiter, qui genus colis alisque hominum, per quem vivimus vitalem aevom,
Quem penes spes vitae sunt hominum omnium.

Vergil. Georg. I 21:

Dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri
Quique novas alitis non ullo semine fruges
Quique satis largum caelo demittitis imbrem.

Vergil. Georg. I 499:

Vestaque mater,
Quae Tuscum Tiberim et Romana palatia servas.

Horat. serm. II 3, 288:

Iuppiter, ingentis qui das adimisque dolores.

Lucan. Pharsal. I 195 de Iove:

o magnae qui moenia prospicis urbis.

Iam transgrediamur ad ea epitheta, quae singulis vocibus contineantur. Haec praecipue blandimenta dant deis, his venerantur h. e. venuste colunt homines. Atque apparet precantes, cum his blanditiis utantur in precationibus, cum deis agere velut clientes cum patronis, deosque aspicere tamquam superiores homines, qui mortalibus praefecti sint, qui etiamsi suopte arbitrio res gerere soleant, tamen si aptis precibus atque verecundia reverentiaque debita adeuntur prompti paratique ad optata praebenda fiunt. Quam deorum opinionem multo sanctiorem quam illam, qua homines putent deos posse certis modis magicis cogi etiam temporibus aliquanto posterioribus esse natam conicias.

Talium ἐπικλήσεων primum afferam *sancte* epitheton quo cum precantes indicent debita observatione colere sese deorum sanctitatem ac divinitatem, illorum benevolentiam sibi parare student: n. 92 de Tiberino: *Te sancte precor*; n. 73: *Precor vos sancta numina*; n. 110: *Sancta herba chrysocanthos*; n. 88: *Teque sanctissima mater Idaea*; ibid: *Vos etiam atque etiam im-*

ploro et appello sanctissimae deae; n. 86: *Ita peto vos [ma]nes sanctissimae.* Anthol. Latin. II 250:

Magne deum Silvane potens, sanctissime pastor.

Atque omnibus fere deis hoc epitheton attribuitur, id quod e laterculo subiecto apparebit:

Apollo: Varro de ling. l. VII 17; Cic. Tusc. IV 34, 73; Tibull. IV 4, 9; Anthol. Latin. I 15, 19.
Caesar: Valer. Flacc. Arg. I 11.
Cupido: Tibull. II 1, 81.
Diana: Catull. 34, 22; Anthol. Latin. II 1800, 1.
Genius: Tibull. IV 5, 12.
Hercules: L. Accius Aenead. sive Decius fr. 4 (Ribb. II 326); Propert. IV 9, 71; Anthol. Latin. II 23, 1; II 248, 1.
Isis: Apul. metam. XI 25.
Ianus: Martial. epigr. X 28, 7.
Iuno: Tibull. IV 6, 7.
Iuppiter: Claudian. epith. de nupt. Honor. et Mariae 305; Incertor. vers. fr. 24 (Baehrens FPR p. 390).
Iuppiter Poeninus: Anthol. Latin. II 873, 3.
Iustitia: Senec. Med. 439.
Medaurus: Anthol. Latin. II 1527A vs. 3.
Pales: Culex 20.
Pan: Petron. Satir. 133.
Priapus: Priapea 81, 3 (Bücheler); Anthol. Latin. II 861, 3; 1504 vs. 1, 12, 32.
Saturnus: Martial. epigr. XII 62, 15.
Silvanus: Anthol. Latin. II 250, 8.
Terra: Anton. Musa prec. terr. vs. 1 (PLM I p. 138).
Terminus: Ovid. fast. II 658.
Vulcanus: Grat. Cyneg. 437.
Deus ignotus: Vergil. Aen. IV 576 (quisquis es).

Eiusdem generis exempla sunt haec, quibus aliae sed similes voces adhibentur:

Sil. Ital. Pun. XV 448:

Sacrati Manes.

Ausonius XI 20, 1 (Peiper):

Salve, fons ignote ortu, sacer, alme.

Praeterea huc inseram epitheton *casta*, quod, cum praedicet dearum castitatem, blanditiarum in numero est ponendum.

Vergil. eclog. IV 10:

Casta fave Lucina

Tibull. IV 6, 14 de Iunone:

ter tibi fit libo, ter dea casta [1] mero.

Neque praetercam hoc loco *dive* sive *diva* epitheton, quo simili modo atque epitheto *sancte* significatur dei divinitas. Sed cum illud epitheton non nisi apud poetas et apud illos semper eodem modo usurpatum inveniatur, ipsum exemplorum, quae passim inveniuntur, numerum resecem. *dive*: Horat. carm. IV 6, 1 (Apollo); Silius Italic. Pun. XV 159 (Neptunus); Claudian. Epithal. de nupt. Honor. et Mar. vs. 300 (Iuppiter); *diva*: Horat. carm. I 35, 1 (Fortuna); carm. saec. 17 (Diana); Ovid. amor. III 2, 56 (Venus).

Veniamus ad epitheton *venerande* sive *venerabilis*, qua de forma eadem ac de vocabulo *sancte* sunt dicenda. Nam ad deum conciliandum eius sanctitas praedicatur. Praeterea etiam precantes hoc verbo confiteri videntur suum esse officium, ut deos illos tum advocatos venerentur.

Venerabilis: Script. Hist. Aug. vit. Maxim. duor. c. 26 (Apollo); Incerti ad Ocean. vs. 13 PLM III p. 165 (Oceanus).

Venerande: Ovid. met. IV 22 (Liber); Ovid. fast. V 448 (Mercurius); Martial. epigr. VII 61, 1 (Iuppiter); Martial. epigr. IX 17, 1 (Aesculapius); Anthol. Latin. II 251, 2 (Pollux).

Haud multo ab illa forma *venerande* differt epitheton *summe* [2], quo illustratur summa dei sublimitas ac venerabilitas. *Summi* appellantur: Iuppiter (Ennius Hecub. fr. 12 Vahlen [2]); Plaut. Amph. 932; Senec. Herc. Oet. 290; Med. 531; Lucan. Phars. I 632; Stat. Theb. III 488; Sil. Ital. Pun. IV 126; XII 643; XV 361); Sol (Ennius Med. exul. fr. 16 Vahlen [2]);

[1] Utroque loco indicari videtur utramque deam aliquatenus cohaerere cum castis matrimoniis.

[2] Nescio an hoc *summe* vocabulum ad Graecas precationes referendum sit. Aesch. Eumen. 28:

Πλειστοῦ τε πηγὰς καὶ Ποσειδῶνος κράτος
Καλοῦσα καὶ τέλειον ὕψιστον Δία. Cf. Soph. Philoct. 1289.

Aether (Ovid. Ibis 72); Pietas (Stat. Silv. III 3, 1); Roma (Lucan. Phars. I 199); Silvanus (Anthol. Latin. II 19, 2).

Huc pertinere videtur *supreme* quoque epitheton, quippe quod similia significet atque epitheton *summe*. Ac Iovi in testimoniis, quae invenimus, attribuitur: Plaut. Capt. 976; Men. 1114.

Praeterea hoc loco ponam nonnulla alia eiusdem fere generis exempla. Ac primum quidem proferam epitheton *aeterne*, quo vocabulo, cum deorum aeternitas sive immortalitas celebretur, precantes numina sibi conciliare volunt.

Aeterne: Sol (Ausonius III 6, 3 Peiper); *aeterna*: Terra (Stat. Theb. VIII 303); Iuno (Stat. Silv. V 3, 276).

Fortasse hi poetae transtulerunt in illos, quos ipsi precabantur, deos idem *aeterne* cognomen, quod semper quidem in cultu dearum Fortunae Lunae Pacis Romae Victoriae adhibetur. Cf. J. B. Carter *De deorum Romanorum cognominibus* Diss. Hal. 1898 p. 36.

Veniamus ad epitheton *inclute*, quo deis blandimenta dantur, cum laudetur eorum claritudo nobilitasque [1]. Atque his fere deis attribuitur:

Marti (Verg. Aen. XII 180); Silvano (Anthol. Lat. II 250, 13); Minervae (Senec. Agam. 369); Apollini (Stat. Theb. VI 296; Anthol. Latin. I 881, 14).

Sub eodem aspectu est ponendum epitheton *clare*, quo praediti sunt hi fere dei:

Mercurius (Ovid. fast. V 663); Apollo (Senec. Herc. Oet. 42, 291).

Maxime blandiendi finem produnt epitheta, quibus deorum venustas formaque praedicatur. Quibus vocabulis precantes blanditi sperant deos precibus potius obtemperaturos esse.

Huc spectant haec fere verba. *Formosa*: Venus (Anthol. Latin. I 24, 1); *candide*: Liber (Tibull. s. Lygd. III 6, 1), *candida*: Concordia (Martial. epigr. IV 13, 7); *tener*: Liber (Tibull. II 3, 63); *levis*: Apollo (Horat. carm. IV 6, 28); *lepide*: Neptunus (Plaut. Rud. 358); *blanda*: Venus (Ovid. amor. III 2, 55).

[1] Simile epitheton etiam in Graecis precationibus invenitur. *Κλυτὸς Ἐννοσίγαιος*: Homer. Ilias X 362; Odyss. V 423; *κλυτὸς Ἑρμᾶς* Pind. Pyth. IX 104.

Precantes magis ethice videntur sensisse, ubi addunt epitheta, quibus dei, cum ipsorum benignitas praedicetur, moveantur, ut volentes ac propitii precantium optatis respondeant precibusque indulgeant.

Quorum primum est epitheton *bonus*, quo vocabulo deus, cum admoneatur de nota solitaque ipsius bonitate et benignitate, adducatur, ut precantium voluntati obsequatur.

Boni vocantur: Venus (Plaut. Rud. 305); Iuno (Verg. Aen. I 734; Script. Hist. Aug. vit. Anton. Diad. c. 7); Liber (Ovid. Trist. V 3, 35); Iuppiter (Pers. Sat. II 22; Stat. Theb. VIII 122; Anthol. Latin. II 874, 1); Apollo (Ephemeris epigr. VIII p. 284). *Optimi* dicuntur: Iuno (Ennius annal. lib. inc. fr. 29 Vahlen [2]); Terra (Vergil. Aen. XII 776; Stat. Theb. VIII 320); Iuppiter (Ovid. met. VII 627; Script. Hist. Aug. vit. Maxim. duor. c. 26); Augustus (Ovid. Trist. III 1, 45); Genius (Ovid. Trist. V 5, 13); Saturnus (Martial. epigr. XII 62, 7); Apollo (Stat. Theb. I 651).

Huc referendum est *mitis* quoque epitheton, cui vocabulo nulla alia subiecta est notio atque epitheto *bone* deorum benignitatem lenitatemque significanti. *mitis*: Apollo (Tibull. II 5, 79); Castores (Ovid. Trist. I 10, 46); Pax (Ovid. fast. I 712); Liber (Ovid. fast. III 789); Diana (Statius Theb. IX 633). *mitissimus*: Themis (Ovid. met. I 380); numina minora (Ovid. ex Ponto II 8, 81).

Neque ab huius generis epithetis aliena esse putem vocabula *lenis* et *facilis*.

Lenis: Ilithyia (Horat. carm. saec. 14); Liber (Incerti Laus Liberi PLM III p. 304).

Facilis: Lucina (Ovid. fast. II 451); di (Ovid. amor. III 14, 43); deae (Anthol. Latin. I 877, 3).

Restat, ut hoc loco commemorem epitheton *alme*, quo invocatur deorum beneficentia benignitasque. Tradit Servius ad Aen. X 252: *Alma parens Idaea deum*] *alma proprie est tellus ab eo quod nos alat, abusive etiam aliis numinibus hoc epitheton datur.* In exemplis afferendis, quae sunt permulta, iterum solos eos locos ubi leguntur deorum nomina respiciam:

Venus (Plaut. Rud. 694; Lucret. de rer. nat. I 2; Ovid. fast. IV 1; Anthol. Latin. I 17, 6; I 720, 4; Auson. XIX 2, 53);

Ceres (Verg. Georg. I 7); Cybele (Vergil. Aen. X 252; Ovid. fast. IV 319); Diana (Verg. Aen. XI 557); Sol h. e. Apollo (Horat. carm. saec. 9); Nox (Senec. Med. 876; Stat. Theb. I 503); Terra (Stat. Theb. VIII 313); Priapus (Anthol. Latin. II 1504, 31); Oceanus (Incert. ad Ocean. vs. 14 PLM III p. 165); Annus (Auson. III 6, 7 Peiper); Fons quidam (Auson. XI 20, 1 Peiper).

Cognitis eis epithetis, quibus deorum appellatur ac provocatur benignitas bonitasque, nunc veniamus ad ea epitheta, quae spectant ad deorum potestatem auxiliandique facultatem. Cuius modi vocabulis precantes, cum deos de ipsorum admoneant potentia [1], praecavere student, ne deus praetendat, non esse in potestate sua situm optata explere. Qua ratione dicendi usi precantes sese deos adducere posse arbitrantur, ut tum quoque ostendant potentiam suam, dum precibus tunc oblatis satisfaciant.

Primum igitur accedamus ad epitheton *magne*, quod pertinet ad deorum vim ac potentiam.

Hoc *magne* epitheto in precationibus praediti sunt: Iuno (Enn. Ann. lib. inc. fr. 29 Vahlen [2]); Iuppiter (Terent. Eun. 709; Liv. VIII 6, 4; Ovid. met. VII 617; Sil. Ital. Pun. VI 416; Pers. Sat. III 35); Diana (Catull. 34, 6; Senec. Phaedr. 409); Cybele (Catull. 63, 91); Pales (Verg. Georg. III 1); Mars (Tibull. IV 2, 1); Genius (Tibull. IV 5, 9); Natura (Senec. Phaedr. 959); di (Senec. de benef. V 16, 3); Saturnus (Martial. epigr. XII 62, 1), Caesar (Claudian. de quart. cons. Honor. Aug. pan. 429); Silvanus (Anthol. Lat. II 250, 1). *Maximi* appellantur: Caesar (Ovid. Trist. III 1, 2); Pluto (Stat. Theb. VIII 91).

Huic *magne* epitheto satis esse propinquum videtur vocabulum *potens*, quo significatur dei potentia auxiliandique facultas. Ita vocantur: Silvanus (Anth. Latin. II 250, 1); Priapus (Anthol. Lat. II 1504, 33); divi quidam (Incertor. vers. fr. 33 FPR p. 391).

Huc pertinet *pulcher* quoque epitheton, quo vocabulo, cum a *pollere* verbo sit derivandum [2], olim non deorum venustas sed potestas praedicata fuisse videtur.

[1] Cf. E. Norden ad Verg. Aen. VI 117 p. 492 (Wünschii adnotatio).
[2] Cf. A. Kiessling ad Horat. carm. IV 4, 65 et epist. I 16, 60.

Pulchri dicuntur: Laverna (Horat. epist. I 16, 60); Iuno (Martian. Capell. II 149); Apollo[1] (Anthol. Latin. I 67, 7; Ephem. epigr. VIII p. 284). Etiam huius vocis nonnumquam adhibetur gradus superlativus *pulcherrime*: Liber (Ovid. Trist. V 3, 43); Venus (Ovid. fast. IV 161); Ianus (Martial. epigr. X 28, 1).

Proximum est, ut hoc loco dicamus de epitheto *omnipotens*. Quo vocabulo indicatur deos habere potestatem talem, ut in omnibus rebus auxilium ferre possint. Ac precantes deum illo modo appellatum commovere student, ut etiam nunc praestet omnipotentiam suam precibusque obtemperet.

Ac priusquam ad ipsa afferenda exempla transgrediamur, Servii quosdam locos inspiciamus. Ad Aen. IV 206: *Iuppiter omnipotens] epitheta quae commemorationem potentiae habent, interdum exprobrationis vim obtinent ut hoc loco.* Ad Aen. IX 622: *Iuppiter omnipotens] hoc epitheton interdum ad gloriam numinis ponitur, interdum ad causam dicentis. namque hoc loco dicendo „omnipotens" ostendunt eum etiam his, qui per se minus valent, praestare posse virtutem.* Atque iam, cum iterum solum respiciamus deorum nomina, afferamus exempla:

deus incertus (Ennius Hector. Lutr. fr. 9 Vahlen[2]); Iuppiter (Valer. Soran. fr. 4 FPR p. 273; Catull. 64, 171; Verg. Aen. II 690; IV 206; V 687; IX 625; XII 179; Petron. Satir. 122; Stat. Theb. III 471, Achill. I 546; Incert. vers. fr. 7 FPR p. 357); Apollo (Cic. Tusc. IV 73; Verg. Aen. XI 791); Iuno (Valer. Flacc. Arg. I 81); Somnus (Valer. Flacc. Arg. VIII 70); Liber (Stat. Theb. IV 383); daemones quidam (n. 61, 66).

Videamus nunc de altero epithetorum genere, de quibus pro certo dici non potest, utrum precantes haec verba adhibeant proprio Marte, an cultus consuetudine usi. Quorum epithetorum in numero inprimis ponam *pater* et *mater*. Ac principio quidem patris cognomen non omnibus deis tribuebatur

---

[1] At Lucilius lib. I fr. 23 (Marx p. 4) ait: *Apollo pulcher dici non vult.* Sed conferas ea quae Fr. Marx ad hunc locum ait: *Veri igitur simillimum est conqueri Apollinem apud Lucilium, quod, cum ceteri ad unum omnes patres dicantur, ipse pulcher Graece quod est καλός audire soleat ut exoleti ab amatoribus.*

sed existebant nulli nisi Diespiter, Dispater, Ianus pater, Iovis pater (h. e. Iuppiter), Liber pater, Mars pater, Neptunus pater, Quirinus pater, Saturnus pater, Vediovis pater (Gellius Noct. Att. V 12, 9; Lactant. Inst. IV 3, 12). Postea cum, nescio an a poetis, confunderentur cum his deis, quibus esset cognomen patris, alia numina, factum esse videtur, ut omnibus fere deis hoc epitheton daretur. Cf. Servium ad Aen. I 699: *Pater omnium proprie deorum epitheton est, ut ubique ostendit Vergilius.* Ut exemplis utar, sequiore aevo praediti sunt hoc epitheto:

Aeolus (Stat. Silv. II 2, 42); Apollo (Verg. Aen. XI 790; Stat. Theb. VII 799); Augustus (Ovid. Trist. III 1, 49); Caesar (Calpurn. Buc. IV 146; Valer. Flacc. I 41); Hercules (Propert. IV 9, 71); Iuppiter Hammon (Sil. Ital. Pun. XIV 440); Lar (Plaut. Merc. 834); Oceanus (Incerti laus Oceani vs. 25 PLM III p. 165); Peneus (Ovid. met. I 545); Priapus (Priapea 37, 9 Buecheler; Anthol. Lat. II 1504, 1, 12, 32, 52); Romulus (n. 28); Sol (Valer. Flacc. Arg. I 679); Tiberinus (n. 92; Ennius Annal. I fr. 30 Vahlen²; Vergil. Aen. X 421); Vulcanus (Martial. epigr. V 7, 7).

De ipso patris epitheto idoneus nobis est testis Lactantius Inst. div. IV 3, 11 sq.: *Multorum autem deorum cultus non esse secundum naturam etiam hoc argumento colligi potest et comprehendi: omnem deum, qui ab homine colitur, necesse est inter sollemnes ritus et precationes patrem nuncupari, non tantum honoris gratia verum etiam rationis, quod et antiquior est homine et quod vitam salutem victum praestat ut pater. Itaque Iuppiter a precantibus pater vocatur, et Saturnus et Ianus et Liber et ceteri deinceps, quod Lucilius*[1] *in deorum concilio irridet* (fr. 19 sqq. Marx):

ut
Nemo sit nostrum, quin aut pater optimus divum,
Aut Neptunus pater, Liber Saturnus pater, Mars
Ianus Quirinus pater siet ac dicatur ad unum.

Quodsi natura non patitur, ut sint unius multi patres (ex uno enim procreatur), ergo deos enim multos colere contra naturam est eqs.

Quae cum ita sint, non est dubium, quin Romani, cum

[1] Cf. Fr. Marx ad hunc locum (II p. 12).

deos patres nuncupaverint, illos animo conceperint, ut ita dicam, velut patriarchas sive patres familias[1], qui ut patres praesunt familiae, ita eorum, qui eos ipsos colunt, patrum more sunt domini.

Atque ut Gellii et Lactantii locos paulo supra (p. 102) commemoratos exemplis confirmemus, ex infinita copia pauca decerpam testimonia:

Dis pater (n. 21, 55); *Iane pater* (n. 47; Horat. serm. II 6, 10; epist. I 16, 59; Iuven. sat. II 6, 394; Martial. epigr. VIII 2, 8; X 28, 7; Sept. Seren. fr. 23 FPR p. 387); *Iuppiter pater* (n. 2, 24; Vergil. Aen. II 692; V 690; XII 179; Senec. Agam. 802; Sil. Ital. Pun. IV 127; X 432; XII 644); *L(e)iber pater* (Anthol. Latin. II 1519, 3; L. Accius Bacch. fr. 5, Ribb. I p. 167; Vergil. Georg. II 4; Propert. III 17, 2; Ovid. met. XI 132; XIII 669; fast. III 789; Stat. Theb. IV 383); *Mars pater* (n. 20, 39, 49; Vergil. Aen. XII 181; Anthol. Latin. I 424, 1; Incert. vers. fr. 7 FPR p. 389); *Neptune pater* (n. 39; Sil. Ital. Pun. XV 161; Valer. Flacc. Arg. I 669; Incertor. vers. fr. 1 FPR p. 388); *Quirine pater* (Ennius Annal. lib. I fr. 63 Vahlen[2]); *Saturne pater* (Martial. epigr. XII 62, 7).

Formae poeticae, quibus ipsum epitheton *pater* redditur, esse videntur epitheta *parens* et *genitor*. *Parens*: Apollo (Stat. Theb. I 696); Caesar (Claud. de quart. cons. Honor. Aug. paneg. 429); Iuppiter (Sil. Ital. Pun. VI 416; Claud. epithal. de nupt. Honor. et Mar. vs. 30); Mars (Lucan. Phars. II 59); Pluto (Valer. Flacc. Arg. I 791). *Genitor*: Caesar (Valer. Flacc. Arg. I 16); Iuppiter (Pseudo-Seneca Octav. 250; Sil. Ital. Pun. VI 105); Mars (Sil. Ital. Pun. X 553); Tiberis (Verg. Aen. VIII 72).

Atque in exemplis afferendis excepto Iove patre nusquam accurate intellegi potest, quibusnam deis illud patris epitheton sit firmum, quod semper in cultu usurpetur cognomen. Hoc igitur vocabulum illi, quod nosmet vocamus, incerto epithetorum generi attribuendum esse putem.

Venio ad *matris* epitheton, de quo eadem fere ac de epitheto *pater* dicenda sunt. Nam ut deo qui *pater* nuncupatur, ut

---

[1] Cf. Preller-Jordan *Röm. Mythol.* I p. 55 sq.; A. Dieterich *Eine Mithrasliturgie* p. 142 sq.

ita dicam, partes patris familias, quae pertinent ad totam gentem, attribuuntur, ita etiam dea *mater* invocata velut mater familias cogitatur. Ac principio quidem non nisi Terrae deae hoc matris epitheton datum fuisse videtur. Nam ubique populorum, quicumque fuerunt suntve in infimo cultu collocati, est opinio Terram omnium hominum esse matrem, ex qua infantes nascimur, in quam mortui revertimur, ut denuo ex illo matris gremio ad novam vitam incipiendam oriamur [1].

Atque Terram deam hoc matris epitheto praeditam invenimus his locis. n. 21: *Tellus mater teque Iuppiter obtestor*; n. 10: *Terra mater.* Praeterea huc inseram poeticam formam *parens* titulo quodam sepulchrali (Anth. Lat. II 1039, 1) Terrae attributam:

Terra parens tibi Fortunatae commisimus ossa.

Etiam Vestam Cereremque deas matres fuisse nuncupatas a veteribus nobis traditur, n. 89: *Teque Vesta mater* (sc. *precor atque quaeso*).

Verg. Georg. I 498:

Di patrii indigetes et Romule Vestaque mater

Ovid. Fast. IV 828:

Vestaque mater ades

n. 39: *Vesta mater*; n. 90: *Vos Ceres mater ac Proserpina precor.*

Sed etiamsi non nisi Terram matrem, Vestam matrem, Cererem matrem in precationibus novimus, tamen non est dubium, quin aliae quoque deae hoc epitheto fuerint praeditae. Nam gravis nobis est auctor Augustinus (de civitate dei VII 3 p. 277 Domb.), qui haec fere nobis tradit: *Unde dicit etiam ipse Varro, quod diis quibusdam patribus et deabus matribus sicut hominibus ignobilitas accidisset.*

Neque tamen satis constat matris epitheton ut perpetuum cultui fuisse probatum.

Huic epitheto propinquum finitimumque esse videtur epitheton *domina.* Quo quidem similia fere ac matris epitheto significari videntur. Nam sicut familia matrem familias vocare solet domina [2], ita venerantes eodem epitheto appellant deam.

[1] A. Dieterich *Mutter Erde*, Lips. et Berol. 1905 p. 27 sq., p. 32 sqq.

[2] J. Marquardt *Das Privatleben der Römer*, Leipzig 1886² p. 59 adn. 3.

n. 44: *Domina Venus, si ego hunc puerum basiaro*; n. 113: *Domna Artemix*; n. 114: *Domina Luna*[1].

Etiam Magnam Matrem nonnumquam dominam nuncupatam esse ex Servio (ad Aen. III 113) intellegitur: *Dominam proprie matrem deum dici Varro et ceteri adfirmant . . . hanc eandem heram appellari i. e. dominam tradunt.* Atque Catullus Magnam Matrem semel (LXIII 92) *eram* (i. e. heram) appellat, sed hoc carmen plane Graecum esse constat.

Iam vero transgrediamur ad certorum deorum cognomina, ut ita dicam, sibi constantia, quae, cum semper in cultu usurpentur, ipsum dei nominis continent partem. Quae cognomina[2], priusquam a cultu reciperentur, libere a precantibus creata fuisse in propatulo est, quae paulatim continua repetitione firma fixaque reddita sunt.

Ac primum quidem proferam cognomen *Optime maxime*, quibus verbis summa potentia animique benignitas, id est summa absolutio perfectioque, denotatur deorum, qui, quotienscumque invocantur, auxilium ferre possunt; itaque ferre debent. Quis est, quin sciat illud epitheton imprimis attribui Iovi? Atque ex eo, quod summo quidem Romanorum deo hoc attribuitur cognomen, facile putem posse conici verba illa manavisse ex opinione vere Romana.

n. 88: *Nunc te, Iuppiter optime maxime* eqs.; n. 7, 12, 31, 34—37, 91; Liv. VI 16, 2; XXII 53, 11; XXVIII 38, 11; Marius Maxim. fr. 16 (Peter p. 336); Script. Hist. Aug. vit. Anton. Diad. c. 1, vit. Probi c. 12.

Praeter Iovem Firmicus Maternus in Astrologia (I c. 4 fin., V praef.) hoc epitheton attribuit Soli deo, quem ipse astronomia sua adductus summum deum aestimat. Et hoc quidem eo factum est, quod Sol deus *συγκρητισμῷ*, ut Graeca lingua utar, Iovis nomen partesque in se recepit.

Venio ad epitheton sive cognomen *Regina*[3], quod in precationibus vere Romanis attribuitur Iunoni deae. Illud epi-

[1] Ex his tribus exemplis, quae sumpta sunt ex Petronio incantamentisque duobus aevi sequioris, intellegi potest hanc vocem populare esse epitheton Caesarianis temporibus usitatum.

[2] J. B. Carter, de deorum cognominibus, diss. Hal. 1898.

[3] H. Usener *Götternamen* p. 227 sq.

theton *Regina* principio quidem summam alicuius gentis deam indicat, cui, cum maxima sit, cognomen regium datur. Atque hoc reginae epitheton invenitur in cultu cum Romanorum tum aliarum Italicarum gentium et Graecorum (cf. H. Usener, *G. N.* p. 228). Apud Romanos Iuno in precationibus *Regina* nuncupatur his fere locis: n. 3, 9, 35, 39, 88, 89; Plaut. Cist. 513; Script. Hist. Aug. vit. Prob. c. 12; Ephem. epigr. VIII p. 284. (Cf. H. Kiepert et Ch. Huelsen, Forma urbis Romae antiquae, Nomenclator Topographicus p. 81 s. v. Templum Iunonis Reginae).

Formae quae eundem usum imitantur, sermone poetico alteratae sunt fere hae. Senec. Agam. 350: *Regia Iuno*; Sil. Ital. Pun. VII 77 de Iunone: *Huc ades o regina deum*; Valer. Flacc. Arg. I 81 de Iunone: *Omnipotens regina.*

Ac postea a poetis licentiam poeticam usurpantibus illud reginae epitheton [1] variis datur deis, cum minime respiciatur, num illo vocabulo deae in ipsarum cultu appellentur. Itaque Valer. Flacc. (Arg. V 384) Iasonem Medeam, quam deam putat, his fere verbis alloquentem facit: *Sed fer opem regina viris.* Cf. similia Horat. carm. III 4, 2: *Regina Calliope.*

Sed pergam in enumerandis deorum cognominibus firmis, quae ad potestatem spectant. Huc pertinere existimem Herculis cognomen *invicte* [2], quo celebratur summa illius dei vis, qui cum ipse ex omnibus laboribus periculisque victor discesserit, aliis quoque omnia, quae precationibus optantur, praestare possit.

---

[1] Sin autem casus genetivus cum vocabulo regina coniunctus est, facile apparet his verbis aliam subesse opinionem. Neque est dubium, quin hac forma deorum significetur domicilium.

Stat. Theb. X 68 de Iunone:
Siderei regina caeli
Stat. Theb. IV 34 de Calliopa:
tuque o nemoris regina sonori
Martial. epigr. IX 58, 1:
Nympha sacri regina lacus.

Cf. Stat. Theb. I 85 (de Tisiphona), Theb. IV 825 (de Nemea); Apul. met. XI 2 (de Iside).

[2] Atque Graecorum in cultu simile cognomen Herculi attribuitur. V. c. Archilochus fr. 119 (Bergk PLG II[4] p. 418)

Τήνελλα καλλίνικε
χαῖρ' ἄναξ, Ἡράκλεις.

Anthol. Latin. I 23, 1:

Hercules invicte, sancte Silvani nepos.

Cf. Anthol. Latin. II 228, 1; 868, 1; L. Accius Aenead. sive Dec. fr. 4 (Ribbeck II p. 326); Vergil. Aen. VIII 293; Sil. Ital. Pun. I 512.

Ex eadem illius dei opinione manasse videtur epitheton *victor.*

no. 39: *Hercules victor.*

Cf. Anthol. Latin. II 22, 1 (Kiepert-Huelsen l. l. s. v. Templum Herculis victoris sive invicti p. 80).

Praeterea Mars deus in precatione quadam illo Victoris epitheto praeditus est:

n. 39: *Mars victor*

(cf. titulos sacros CIL II 2473; VII 425 cet.).

Reliquum est, ut proferam ea epitheta firma, quae sint referenda ad deorum naturam proprietatemque.

Iam commemorem Iovis cognomen *custos,* qua voce significatur deus, qui tutelam hominum recipere solet. Quod cognomen Horatius (carm. I 12, 49) poetico sermone usus his verbis circumit: *Gentis humanae pater atque custos.*

(cf. titulos sacros CIL VI 376; XIV 3557 cet. Kiepert-Huelsen l. l. s. v. Templum Iovis Custodis).

Alterum Iovis cognomen, quod huc spectare videtur, est vocabulum *dapalis.* Quod epitheton attingere putem dapem illam, quae Iovi, quippe qui existimetur fecunditatis largitor, quotannis, ut agris daret fertilitatem, antequam fiebat sementis, solebat offerri.

n. 46: *Iuppiter dapalis.*

Praeterea hic ponam Iovis epitheton *Feretri,* quo designatur ille caeli deus, qui fulmine ferit[1].

n. 14: *Iuppiter Feretri*

(cf. Kiepert-Huelsen l. l. s. v. Templum Iovis Feretri p. 83).

Deinde hoc loco ponam Iunonis cognomen *Lucina,* quo appellatur Iuno mulierum dea, cui, ut est dea coniugalis et natalis, matrimonium partusque sunt curae, qua de causa eas mulieres, quae in pariendo illius implorant auxilium, adiuvare debet. At principio Italica fortasse existebat dea, cui nomen

[1] Cf. Osthoff apud Domaszewskium *Die Religion des römischen Heeres, Westd. Zeitschrift f. Gesch. u. Kunst* XIV (1895) 1 p. 120 adn. 487.

erat Lucina [1]. Sed fortasse temporibus posterioribus, cum Lucina illa dea cum Iunone aequaretur ac coniungeretur, factum est, ut Lucina vox Iunoni cognominis loco attribueretur.

Terent. Adelph. 486:

Iuno Lucina fer opem! serva me obsecro.

Cf. Terent. Andr. 473; Cicero de nat. deor. II 68; Servius ad Aeneid. I 8; Arnob. adv. nat. III 10; praeterea titulos sacros CIL VI 3694, 3695 cet. et Kiepert-Huelsen l. l. s. v. Templum Iunonis Lucinae p. 81.

Neque est, cur praetereamus Iunonis cognomen *Covella*, qua voce nuncupari solebat Iuno singulorum mensium Kalendis. Atque indicatur hoc verbo Iuno ea, quae, cum caeli sive lunae sit dea [2], ad singulos menses circumagendos permultum conferat.

n. 33: *dies te quinque kalo, Iuno Covella.*

Iam accedamus ad Larum cognomen *viales*, quo denotantur Lares, quibus, cum illi viarum susceperint custodiam, viatores se tuendos committere solent.

Plaut. Merc. 865:

invoco
Vos Lares viales ut me bene iuvetis.

Medice cognomine precantes Apollinem admonebant consuesse deum mederi aegrotis. Macrob. Sat. I 17, 15: *Virgines Vestales ita indigitabant Apollo Medice, Apollo Paean.* Quo medici epitheto Apollo in eo templo, quod, cum deus olim pestilentiae causa a Romanis ex Graeco cultu reciperetur, ei dedicatum [3] est, semper nuncupabatur. Qua de causa inter firma certorum deorum cognomina etiam hoc posui vocabulum.

Cognomen *Redux* Fortunae attributum est anno a. Chr. n. undevicesimo, propterea quod Augustum ex oriente incolumen reduxisset (Wissowa l. l. p. 212). Atque postea in publicis precationibus saepius, ut reditum imperatoribus daret felicem, videtur esse invocata.

---

[1] Cf. G. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 114.

[2] G. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 116.

[3] G. Wissowa *Relig. u. Kult. d. Röm.* p. 240, cf. Liv. XL 51: *Aedem Apollinis medici.*

n. 39: *Fortuna redux* (Praeterea conf. titulos sacros CIL VI 196, 197 cet.).

Denique hoc loco commemorem Iani cognomen *Quirine*[1], quod publicae, quae erat fori Romani, portae Iano[2], ut quasi opponeretur privatarum ianuarum deo, attributum esse videtur. Atque ipsum cognomen similia valere videtur ac verba *p. R. Quiritium.*

n. 16: *Audi Iuppiter et tu Iane Quirine.*

Postremo afferam Martis cognomen *Gradive*, quod adhuc nemo certe interpretari potuit.

n. 27: *Gradive Mars* (Cf. titulos sacros: CIL XIV 2580, 2581 cet.).

---

[1] Quod etiam Iovi tribuebatur (CIL IX 3303), v. G. Wissowa l. s. p. 139.

[2] G. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.* p. 96.

VITA

Georgius Appel natus sum a. d. VIII Id. Febr. a. 1883 in vico Bodenheim prope ad Mogontiacum urbem sito patre Aemilio, qui mihi mense Sept. a. 1906 praematura morte ereptus est, matre Margareta e gente Pfeiffer. Litterarum rudimentis imbutus gymnasium Mogontinum frequentavi, inde ab anno prioris saeculi XCII usque ad annum huius saeculi I. Hinc maturitatis testimonium adeptus Gissam me contuli, ut studiis philologicis me darem. Proseminarii philologici magistris usus sum Gundermanno Dieterichio Wuenschio. Per quattuor semestria sodalis fui seminarii philologici rectoribus Wuenschio et Betheo.

Docuerunt me: Bethe, A. Dieterich †, Groos, Gundermann, Haller, Höhlbaum †, W. Oncken †, Sauer, Siebeck, M. L. Strack, Wuensch.

Maximas gratias ago omnibus his viris doctissimis. Eximias vero debeo gratias Wuenschio, a quo impulsus semperque et consilio et auxilio adiutus hanc disputatiunculam composui.